9

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 — A
36

XII. 7. 15.

Digitized by Google

8. 30. A. 36

DE SERPENTE ÆNEO BASILICÆ AMBROSIANÆ MEDIOLANI.

Digitized by Google

DE SERPENTE ÆNEO AMBROSIANÆ BASILICÆ MEDIOLANI

MICROLOGVS

AVCTORE PETRO PAVLO BOSCA
Ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum S. Th. D.
& Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

D. D. ANTONIVM BORROMÆVM,

Comitem Aronæ, Marchionem Angleriæ, Ducem Ceræ &c.



MEDIOLANI ANNO SECVLARI M DC LXXV.
Ex Typographia Franciſci Vigoni. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIME
DVX

ET ſuopte ingenio liber, & ſponte ſua coluber æneus Ambroſianæ Baſilicæ, quam Diuus Carolus & Federicus Borromæus Parentes atque Antiſtites vrbis ad cæterarum quoque Aedium inuidiam amplificauere, ad te veniunt. Liber quidem primùm vernaculus eſt, natus domi tuæ, hoc eſt in Ambroſiana Bibliotheca, quæ Federici Cardinalis Bor-

Digitized by Google

romæi, Inſubrum Metropolitæ, ac Magni Patrui tui, opibus ad literarum, bonarumque artium incrementa condita eſt: quam adminiſtratione tuà, munificentià, atque conſilio gemmeam facis, cùm auream acceperis; tum multa propugnat, quæ Sanctus Carolus in Acta Mediolanenſis Eccleſiæ retulit, conquiſitis vndique monumentis. Neque verò ſerpentem æneum inauſpicatò tradimus tibi, quando gentilitia Vicecomitum Vipera cum Borromææ Gentis Monocerote & Camelo amicè colludit. Etenim Familiæ tuæ, quemadmodum olim Azoni Vicecomiti, angues læta cuncta ac proſpera portenderunt: quòd non modò Hymenæus annulis gentilitijs Borromæos Proceres cum Vicecomitum Gente ſæpenumerò coniunxerit, verùm Philippus Maria Vicecomes ante cæteros Mediolani Duces Borromæam Domum tantis honoribus inſigniuerit, quantos expetere modeſtia nollet, virtus mereri poſſet. Eiuſdem inclytæ Gentis Matronam lectiſſimam duxiſti, Helenam nempe, quæ

Con-

Conſtantinum tibi aliquem animo &
ingenio Magnum feret; verà ſic vatici-
natione Cardinalis Federici Patrui Ma-
gni, qui fore vt te Familia niteretur, cer-
tò prænuntiauit. Te quidem nititur ac
nitet Familia (quamquam nec cæteris
Fratribus tuis ſua deſint ornamenta) adeò
Ducis Borromæi virtutibus exornatur.
Adoleſcentiæ tyrocinia poſuiſti in caſtris;
nanque ab Iulio Cæſare genitus Martem
ſequi debueras, defunctus Tribunatu mi-
litum, cùm Gallus, non ſuo, ſed bellici
æris cantu, minimè obdormiſcere Inſu-
brum copias pateretur. Obtinuiſti à Bel-
lona, non à virtute miſſionem: aciem
ingenij, prudentiæque conſeneſcere no-
luiſti, vbi gladij aciem vaginà condide-
ras. Cùm antea ferrum ſtringeres, nunc
aurum alienæ egeſtati largiris: nec vn-
quam pedem in ædes tuas intuli, quin
Sacros Ordines, & ſqualentem inopiam
opibus tuis recreatam cernerem dimitti.
Religionem verò tuam Templa teſtan-
tur; quippe non modò Anglerienſis Ae-
des Magnæ Matris tuà munificentià di-

teſcit, verùm etiam Oleoducti delubrum eidem Virgini Deiparæ excitauiſti: vt tibi ſereni nonniſi Soles lucere poſſint, quos collocas in Virgine. Hæc facienti cùm immortalitas nominis accedat, quidni exporrectà fronte colubrum accipias, cuius volumen æternitatem oſtendit? Aereus quamlibèt hic ſerpens pretio aurum vincit: minoris autem à te fiet, ſi turpem ſcriptoris ferrugine ſpectabis; verùm illa, vt ſpero, luminibus tuis detergetur. Certè pretium à te expectat: tuque ſi æſtimabis magni hunc colubrum, ſtatues: ſi parui, etiam æneus cùm ſit, vileſcet. Igitur æs ex tuo iudicio pendet; nec ego quidquam magis præ me fero, quàm vt, ſi quis diſputationem breuem hanc meam æreo ſeculo ob vilitatem indiſerti characteris natam affirmet, ſerpentis aenei amplexu circumplicatam ſciat. Soſpitent te Superi: ac, quod boni omnes precantur, diutiſſimè ſeruent.

Excellentiæ tuæ.

Humil. addictiſs. obſequentiſs. Ser.

Petrus Paulus Boſca.

Ad Illuſtriſs., & Excellentiſs. D. D. ANTONIVM BORROMÆVM CERAE DVCEM &c.

Cui Micrologum de Serpente æneo nuncupat Auctor.

NE tibi vileſcat coluber, rutilo allinit auro
Scriptor; ſic tantas iam decet ille manus.

Carolus Ioſeph Saita ex Sodalitio Oblatorum Collegij Ambroſiani Doctor.

Ad eundem in idem argumentum.

QVem ſanat, cultore tumet, licèt aneus anguis;
Quid faciet formà nunc meliore nitens?
Thura adolere parat fuſis gens impia votis:
Tu prohibes tantum Dux Boromae nefas;
Nam tua dum repit ſerpens ad tecta, trophaeum
Qui fuit erroris, iam pietatis erit.

Idem.

Alluditur ad Serpentem Aeneum, ad Excellentiſſimũ D. Comitem Antonium Borromæum Ducem Ceræ, atque ad Auctorem Micrologi, qui eſt ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum SS. Ambroſij & Caroli.

FIlius Ambroſij, Caroli facundus Alumnus,
Fuſile Iudaei publicat Anguis opus.
BORROMÆE, tibi, quarto ſpectabilis oſtro,
Squamea ſeruati Reptilis æra dicat.
Reſpice SERPENTEM, lethi memorabile fulmen:
Huic oculo vitam, ſi dedit, ipſe dabis.

D. Ioſeph Hieronymus Sementius Congr. Somaſchæ.

Alluditur ad Moyſem Ducem copiarum Iſraeliticarum, & ad Excellentiſs. D. Ducem Borromæum.

DVx vnus cudit SERPENTEM, poſſidet alter:
Iſtius es Dominus tu, fuit ille Faber.

Idem.

In laudem Scriptoris.

SQuamiger illuſtri calamo deſcribitur Anguis:
Sculptile pro lima lingua reformat opus.
Aſſerit hunc doctus Muſæi nobilis Heros,
Legiferum, Colubro ſtante, dediſſe Ducem.
Si fuit, haud equidem eſt idem: micat ore coruſcò
Aureus hic SERPENS, æreus ille fuit.

Idem.

In idem Argumentum.

TOllitur Auguſto ſtudiorum Regia faſtu,
Quam generoſa Charis, ſacraq; Muſa colit.
Scit vigil Antiſtes doctos ſeruare penates:
Maxima ſtatq; vno Bibliotheca Viro.
Non Vaticana ſuperas hanc Aula Mineruæ:
Ipſa ſuum PAVLVM iactat, & ipſa PETRVM.

Idem.

In laudem Scriptoris.

NOn Cadmea ſeges rediuiua hæc, aurea meſſis:
Tu pretium docto, Boſca, facis calamo.
Ergo lethifugam perhibens hunc eſſe chelydrum
Falleris: hic auro, fuſus is ære fuit.
Et tamen Ambroſij coluber delatus ad Aedem,
Vt tradis, Moſen fertur habere fabrum.
Cur igitur fuluo, quo non priùs, ære coruſcat?
An cutis, vt mos eſt, exuuias poſuit?

Carolus Ioſeph Saita &c.

PERILL. ET ADM. REV. DOMINO,

D. PETRO PAVLO BOSCHÆ

ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum, Sacræ Thelogiæ Doctori, ac Ambroſianæ Mediolani Bibliothecæ Præfecto.

VT primùm ad calcem caſtigatiſſimæ diſſertationis tuæ de æneo Moyſis Serpente, qui etiamnum Mediolani palàm viſitur, legendo perueni, Stygia iuro pro fonte paludis, cum in Anguem Gorgoneum lumina defixiſſem, totus ſaxeus præ admiratione fui. Tanta in ea eruditio, tum ſacra, tum prophana, tantus dicendi lepor, tam exactum Chronologiæ ſtudium, tot melioris notæ Scriptorum euoluta monumenta nitent, vt Patria ob eiuſmodi Cimelion ab obliuionis interitu vindicatum tibi plurimum debeat. Quò verum fatear, vnum te eſſe ex Pſyllis, qui innoxijs manibus angues noſtrà tempeſtate tractes (adeò nempe primi ſerpentis morſui, inſcitiæ ſcilicet, mederis) gaudeo in ſinu. Enim verò Micrologus tuus, dum circa æneum colubrum verſatur, cum Epidaurio ſerpente traxiſſe moras mihi videri poteſt, à quo totam Aeſculapij artem ſanandi hauſerit, quippe imperitiæ morbum, quo plurimi, neſcio quo malefico ſydere erant afflati, ſuſtulit, qui in eiuſmodi donario dignoſcendo, veluti in tenebris, miſeri audiebant errones. Ni etiam illud libeat autumare anguium

altero

Digitized by Google

altero Mercurij Caduceum per te fuiſſe expolitatum, quo politiſſima eloquentia Micrologum ornares, nam latini eloquij caſtitatem adeò lotis manibus verſare conſueuiſti, vt eam ſartam tectam ſemper volueris. Aedepol Micrologus iſte, nedum cantando, vt penes Maronem proſtat, aſt ſcribendo Anguem non rupit in prato, verùm à pio Rege plura iam in fruſta redactum, priſtinæ ſuæ integritati reſtituit in Templo. Proinde, quod non nemo de ſacro vatum cecinit cœtu, eiuſmodi codex iure merito debet audire Anguifer, & Palladis Vmbo. *Ita ſerpentes tecum à Meduſæ Clypeo ad Mineruæ parmam gradum rependo fecere. Neque tibi, alteri veluti Laocoonti, ab anguibus quidquam venit timendum, quando, elucidato Hebraici Ducis ſerpente, Religionem non læſiſti, ſed firmaſti. Crede mihi, mi Boſca, è virtutis arena, in quam ab ætatis vel tenellæ carceribus deſcendiſti, vbi reptaſti per ſcuta puer, nequaquam recedes parmà inglorius albà, vbi perpetuò ſerpentem poteris in ea depictum, veluti relatum de ſubacta inſcitia trophæum, commonſtrare. Vt vt ſit; gratulor gloriæ tuæ, ac Diuos prece fatigo, vt eiuſmodi feras nequaquam nocuas ſæpe ſæpius nobis producas. Vale Mediolani ex Cœnobio SS. Coſmæ, & Damiani Quarto Idus Ianuarias Anno Iubilei M.DCLXXV.*

Eruditioni tuæ obſtrictus famulus

Fr. Athanaſius à S. Carolo Eremita Auguſtinenſis Nudipes.

Alluditur ad Serpentem Aeneum, & ad nomen Auctoris.

Aude Lector
Anguem attrectare, nec timere
Salubrem corporibus, non lethalem.
Nempe PAVLI munus eſt
Stygium virus ore vipereo expellere:
Nec deeſt PETRI virtus,
Cuius ex Petra,
Poſitis mendacij exuuijs,
Nitidus Coluber prodit.
Quanquam non ſimplex PETRA PETRVS,
Sed lapis Lydius,
Quo pretium Serpentis ænei eſt probatum;
Niſi potiùs Lydiæ Regem Scriptorem facis,
Qui, vt Serpentem æneum tetigit, in aurum vertit.
Apage igitur Hercules:
Nugas narras,
Cùm angues enecatos tuis in cunabulis iactas;
Illum Alcidem dixerim,
Qui vno Serpente errorum Hydram elidit.
Macte animis Scriptor;
Tuo in ære Patria eſt,
Quando anguem æneum Moyſis Patriæ reddidiſti.

Balthaſſar Párauicinus.

Digitized by Google

MENS AVCTORIS.

AVdi Orthodoxa Religio: voces commentitiorum numinum, ac alias eiuſmodi, quæ ſuperſtitionem Ethnicorum olent, characteris gratia illatas in ſcriptionem ſcito: elogia ſummorum virorum nihil maximorum Pontificum oraculis aduerſari volo; ſicubi verò imprudens peccaui, palinodiam canam. Adeò me in poteſtate tua ſemper futurum profiteor.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLENTI SCRIPTOR.

PLurimorum fabulæ, quæ vires eundo acquirunt, me ad ſcribendum] compulere: ne vnus ſerpens, etiam ſine viru, vitam adimeret veritati. Multis quidem abhinc annis hanc diſputationem lingua Itala ſcripſerā, quatuor fermè paginis contentam; eiuſdem erat exordiū Tre coſe io leggo appreſſo gl'Iſtorici &c. *verùm illa ſibi ipſi omninò diſsimilis prodit in præſens nimirum non modò pluribus in locis emendata, in quibus ſenior mendas deprehendi, verùm longè maiori rerum, atque animaduerſionum incremento locupletata: vt ij facillimè intelligent, qui diſputationis illius exempla manu exarata, nec vnquam typis edita, cum recenti Micrologo comparabunt: nam archetypum nondum è meis thecis exulauit. Omnium igitur, qui inter falſum verumque ſciant diſcernere, approbationem promerebitur (vt ſpero) Micrologus noſter, ijs modò grauis futurus, qui naſi tantum habent, quantum*

nolit ferre rogatus Atlas.

Iſti fortaſſe ſuper cætera diſputationem meam damnabunt inſolentiæ, quòd identidem loca Italorum ex-

tera-

Digitized by Google

terorumque Scriptorum deſcripſerim: verùm prouoco ad Ioannem Caramuelem [a] *Viglebanenſis Eccleſiæ & facultatum omnium Antiſtitem: itemque appello Franciſcum Mariam Phœbeum* [b], *& Ioannem Petrum Puricellum* [c], *viros doctiſsimos, qui ſuis in lucubrationibus Latinorum, exterorumque Scriptorum teſtimonia miſcuere. Hæc exempla liberauerunt animum meum religione: ac protinus Latinos, Italos, & Gallos libuit immiſcere ſcriptores. Porrò ſingulorum loca ſincerè deſcripſimus, nihil caſtigando barbariam Latini Italiue ſermonis. Quod ſi hæc minùs placebunt literatorum hominum comitijs (etenim ſciolorum quorundam cenſorium pluſquàm ſupercilium rideo) ſi quis me amicè reprehendet, paræneſim minimè erubeſcam, quando nunquam in meam ſententiam iuraui, ſed ea in medium protuli, quæ ſimilia magis vero ſunt, vt animaduertent, qui aliorum ſententias de ſerpente æneo cum noſtra conferent. Tu hæc æqui boniq; facito; illa verò minimè quærimus:*

[a] *in libro cui titulus* Primus Calamus.
[b] *in libro de identitate Cathedræ S. Petri Romæ.*
[c] *in monumentis Baſil. Amb. & alibi.*

Quis leget hęc? min'tu iſtud ais? nemo herculè. nemo,
Vel duo, vel nemo. Turpe & miſerabile? Quare?
Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint. Nugæ &c.

Perſius Sat. I.

Ita ſanè nugæ nobis videntur. Bene vale.

Per l'eruditiſſimo diſcorſo

DE SERPENTE ÆNEO

PVBBLICATO DAL DOTTORE BIBLIOTECARIO

PIETRO PAOLO BOSCA

NELL'ANNO MDCLXXV.

VATICINIO

Cauato dalle lettere numerali del medeſimo anno

Moſayco **D**eſerti **C**olubro **L**u **X** **X**p̄iane **V**eritatis.

SONETTO.

*E*Sci omai a la luce, e ſquarcia il velo
De le tenebre tue, Serpe ſopita,
Ecco l'Anno Fatal, *che già t'addita*
Aprico il calle, ed iſuelato il Cielo.

La nouella ſtagion, diſciolto il gelo;
Le ſue doti a mirar ora t'inuita,
Ed a ſeco goder di noua vita,
Vedi, t'accenna ogni fiorito ſtelo.

Ma qual ti turba cieco orror la mente;
Che per vſcir da la natia foreſta
Queſte voci non odi Angue innocente?

Scorgo l'arcan, che'l vital bronzo arreſta:
Ne ti sò riprouar ſaggio Serpente,
Mentre gran Luce *il* Boſco *tuo t'appreſta.*

Camillo Sitoni Dottore di Leggi.

IN MILANO, Per Franceſco Vigone, *Con lic. de' Superiori.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
SERPENTE ÆNEO
BASILICÆ AMBROSIANÆ Mediolani Micrologus

AVCTORE PETRO PAVLO BOSCA Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto.

Colubrum quod aiunt in ſinu foueo, innoxium tamen, quia æneum; hunc licèt diu ingenij acie fuerim contemplatus, minimè tamen ſalubrem ad ſanandam ſciendi cupiditatem ſenſi. Offert ſe ille venientibus in Ambroſianam Aedem, arrecto collo, vnum in volumen contortus, caudam vibrans, columnà marmoreà ſublimis: contraq; ſerpentem æneum ex aduerſa pila pendet imago Chriſti Seruatoris Crucifixi. Hunc anguem Ferdinandus Vghellus vberem ad diuinandum materiã appellauit; nos ſimplici illius volumine

Tomo 4. It. Sac. ad vrbē Mediol. col. 137.

plurimorum mentes fuiſſe implicitas profite, mur; adeò colubri, cùm fallere homines cæpiſſent orbe terrarum vix cōdito, nunquam ſuum ingenium dedidicerūt. Vocabimus Scriptorum teſtimonia ad examen, ſerpentis aſpectu curaturi fidem, quæ certiori ſententiæ eſt tribuenda; quod ſanè impetrabimus, ſi aniles fabulas prætereundo, magis ſyncera monumenta, propoſitis diſertè Auctorum locis, nodoſque aut obijciendo, aut ſoluendo, expendemus; qui labor eò à nobis libentiùs in hanc lucubrationem inſumitur, quò nullus adhuc noſtratium, vel exterorum de colubro Ambroſianæ Baſilicæ ſeriò diſceptauit.

Quicunque in bicipiti ſomniauere Parnaſſo, mira quædam de ſerpentibus carmini intulere, ſiue cum angues Superùm vindices in Laocoonta deſcriberent

Virg. Æn. 2. *Sacrumqui cuſpide robur*
Læſerit, & tergo ſceleratā intorſerit haſtam:

ſiue cùm debacchantium Eumenidum crines, aut Mercurij virgam colubris horrere cogerent: vel felicia omina caperent, quòd ex adytis prodiret ſerpens, atque innoxius tumulum pererraret. Hæc cum oculis obuerſantur, damus facilè veniam, quòd Poetis quidlibet audendi poteſtas ſit; verùm monſtri ſimile putamus, cùm non infimi ſubſellij ſcriptores commenta eiuſmodi monimentis patrijs inſerunt, nec turpe exiſtimant, ſi vitium afferant veritati. Fa-

bulas

bulas haud diſſimiles, & prorſus abhorrentes à fide, quidam excogitauere; aiunt videlicet Laverniones quoſdam, tenebrarum ſocietate cõfidentiores, in Ambroſianum Templum irrepſiſſe, vt intactam illius gazam, aræque maioris laminas auro, gemmis, & margaritis diſtinctas, ac vaſa reliqua ſummæ artis ac pretij ſubriperent; profectum repentè ex imis adytis colubrum, ſibilo atque ore minacem, iniecto pauore fures eliminaſſe; tanti proinde beneficij teſtem ſerpentem æneum ſupereſſe. Hunc anguem ſimillimum Draconi Heſperidum diceres, cùm aurum ſeruarit. Credent iſtæc facillimè Abderitæ, & cætera, quæ ad luculentum caminum garriunt aniculæ de Gallo aeneo, qui in altera Aedis Ambroſianæ turri eſt locatus; namque eum affirmant cantu ſuo excitaſſe cuſtodes Baſilicæ, vt fures expellerent. Si hæc veris ſimilia ſunt, Gallum illum Gallinaceum Capitolinis anſeribus præfero; quando hi arcem, ille Templum defendit; quamquam aues illas in ſummo ſacrarũ Aedium culmine, & Leonum ſimulacra ad Templorum valuas poſita nouimus, quò Liturgos vigilantiæ admonerent.

apud Ripamont. dec. 1. hiſt. Eccl. lib. V.

Alciatus Emblem. V. Puricellius in monum. Baſil. Ambroſ. pag. 681. & ſeq.

Aliam commentus eſt de ſua ſententia fabulam Blondus, qui, dum Phœnicum ſerpentes colentium inſaniam irridet, ſuperſtitionis propè poſtulat Ambroſium. Auctor ille eſt Phœnices diuinos honores anguibus tribuiſſe, quòd

lib. p. Roma Triumphantis.

ij reptando, multiplicique volumine ſinuoſi celerrimè agerentur: ſquamâ item recenti ætatem fallerent, letho nunquam obnoxij, niſi ictu aliquo protererentur; ſuperſtitionem illam ex Phœnicibus ad Italorum aras profectam, eiuſque amouendæ cauſa Diuum Ambroſium, vt religionem Chriſtianam conciliaret Inſubribus, Ophionem, qui à latinis ſerpens appellatur, in Eccleſia Mediolanenſi ſeruauiſſe, *qui etiam nunc integer conſpicitur*. Verùm Blondi hæc omnia ſine auctore tradentis ſententiam facilè refellemus; vt vt enim delirauerint Itali, certè Mediolanenſes non vſque adeò inſaniuerunt, vt cum Ægyptijs omne ferè beſtiarum genus conſecrarint. Mediolani cultum fuiſſe in primis Herculem* ferunt, cuius in tutela vrbs cum eſſet, vnam è regionibus ſuis habuit

*Herculei celebrem ſub honore lauacri:**

tum etiam Palladi poſitam Aedem indicat Alciatus, quà Martyri Theclæ delubrum quondam ædificatum fuit. In Deorum quoque numero erant Planetæ, eorumque ſimulacra Portis ſeptem vrbis imminebant: quibus cum thura negaſſet Barnabas Apoſtolus, extra mœnia conſtitit, Mediolanenſes erectà Cruce ad concionem euocauit, eloquio permouit, permotos lymphis ſalutaribus expiauit; nec deerant aræ Iano quadrifronti, cuius adhuc cognomento Aedem Ioannis Baptiſtæ in regione Comēſi vrbis nominamus: ſuaque pariter in Porta cul-

* *Ioſeph Scaliger in notis ad Epig. Auſonij de Mediolano Puteanus. In diſſertatione de Scholis Palatinis*

* *Emblē. 2.*

tores habebat Iupiter, eiuſq; nomine arx vrbana inſignitur. Nuſquam itaque colubros fuiſſe cultos monumenta, vel ſcriptores oſtendunt: immo ne vllam quidem ferarum honeſtatam à Mediolanenſibus thure, aut legimus, aut accepimus; cùm non adeò maiorum noſtrorum mentes obſtupuiſſent, vt viliſſimas animantes, & cœnoſa numina ſanis inferrent. Illam verò ſuperſtitionem colendorum anguium ſuſtuliſſet Ambroſius, qui in primaria Aede colubrum, columnà quoque ſublimem, ne adorantium oculos fugeret, conſultò collocauiſſet? Immo cùm ille conſeruandæ religionis ſtudio eſſet inflammatus, Ezechiam Regem imitari debuerat, ſublato angue, & anguium omnium monumentis. Certè ſuperſtitionibus Inſubrũ obuiam iuit Ambroſius, prohibuitque, ne altaria Victoriæ, ſuadente Symmacho, excitarentur: quin ille in Aede ſua indicem ſuperſtitionis colubrum in columna ſtatueret. At anguem æneum in Baſilica Martyrum collocauerit Ambroſius, cæritemne adeò putamus fuiſſe Diuum Carolum Borromæum: vt, cùm ſimulacrum Herculis (de quo mentionem libro vltimo decadis quartæ hiſtoriarum Mediolanenſis Eccleſiæ inijciemus) in eadem Baſilica deiecerit nullius vnquam ſuperſtitionis conſcium, colubrum deinde turpiſſimi criminis reum ſupereſſe diutiùs pateretur? Tanta quidem inſania mulierculas dudum in eam mentem impulerat, vt in-

fantes, quos lumbrici vexarent, ante ſerpentem hunc æneum ferià ſecundà Paſchatis conſtituerent, ratæ ſalubris quondam æris aſpectu eorundem morbos poſſe depelli. Quē morē Diuus Carolus antiquauit: multòque lubentiùs, non ſalutare, ſed noxium æs igne mulctaſſet, ſi reliqua adhuc Phœnicum ſuperſtitio, aut illi diuinos honores impendiſſet, aut olim impenſos in memoriam reuocaſſet. Denique integrum eſſe ceraſtem æneum Ambroſianæ Baſilicæ falsò teſtatur Blondus, quem anteà fuiſſe diffractum etiamnum indicat plumbum, cuius beneficio diſſociatæ partes iterum coiuere.

Puricell. in monum. Baſil. Ambroſ. nu. 200.

Quòd ſi cultos à Longobardis fuiſſe* colubros aſſeueres, & præcipuè viperam Beneuenti (quam ſuperſtitionem Sanctus Barbatus,* liberatà ab obſidione diuinitùs vrbe, Romualdum Ducem, & cæteros Longobardos eiurare coegit) ac proinde ceraſtem fortaſſe æneum per illa tempora in Ambroſij Baſilica collocatum; nunquam ego dabo Chriſtianam Religionem Mediolani Ethnicorum ſuperſtitione corruptam, quandiu res Inſubrum in Longobardorum imperio fuerunt, concidiſſe. Etenim poſtquàm Mediolanum in Alboini ditionem conceſſit anno DLXX., modicum temporis ſpatiū fluxit, cùm Agilulphus, hortante coniuge Theodelinda, anno videlicet quingenteſimo nonageſimo altero, ab Arianorum partibus deſciuit: atque adeò nulla ſuperſtitio (ſi modò

**Pilonus lib. 2. hiſt. Belun.*

**Martyrol. Rom. ad diem 19. Feb.*

Puric. in differt. Naz. cap. 71.

Puric. ibidem, Raderus in Bauaria Sacra, & alij.

in Inſubres fuit illata) altè radices iacere potuit, ac ad æternam Longobardici cultus turpitudinem æneum ſerpentem in ſacris Aedibus collocare. Quamobrem, ſicuti nondum aboleuit memoria Beneuentanę ſuperſtitionis (nam pars magna Longobardorum venerabantur cõmentitios Ethnicorum Deos nondum Sacro Baptiſmate abluti, pars Arij dementià fuerant deprauati) ita ſupereſſent apud ſcriptores Mediolanenſis Idololatriæ monumenta, præſertim cùm non in priuatas, ſed in publicas, immo ſacras Aedes, eaſque primarias, collocato cerastè, illa fuiſſet inducta. Arianiſmum quidem reuixiſſe plus vice ſimplici teſtis eſt Diui* Aquilini Martyris cædes, quem Theodorico Rege occubuiſſe conijciunt Ferrarius, & Puricellus, cum Aquilinus Arianos inſectaretur: quorum odio etiam Datius *Archiepiſcopus ab vrbe eiectus ſolum vertit. Verùm expugnata hæreſis illa quondam ab Ambroſio, rurſum in eiuſdem vrbe neutiquam potuit adoleſcere; ſiquidem numinis ope factum eſt, vt regnantibus in Italia Gothis viri Sanctiſſimi Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtrarent, quod apertè Necrologia oſtendunt. Cùm autem Italia in poteſtatem Longobardorum eſſet redacta, inuaſit tertiùm Inſubres peſtis Ariana; verùm Theodatus Archiepiſcopus primùm, deinde pietas Theodelindæ attulit ciuibus amuleta; & quamuis iterum, nempe anno DCXXVI., graſſata ſit: Præſu-

Baronius tomo 7. ad annũ Chriſti 573.

**Martyrol. ad diem 29. Ian. in Catal. SS. Italiæ ad eundem diem in diſſert Naz. c. 71.*

** Ex Dialogis S. Greg. vt infra.*

Ex Actis Eccl. Mediol. Puric. ibidem.

Martyr. ad diem X. Ian. Præſules tamen integerrimi, qui tum Eccleſiæ Mediolanenſi præerant, quos inter Ioannes cognomento Bonus, atque Antoninus Fontana cælo recepti, Arianam hæreſim, & barbaros gentium exterarum mores conuellere inſtiterunt: donec Grimoaldum Longobardorum Regem Ioãnes Epiſcopus Bergomi ab Arij partibus ad Catholicam Fidem abduxit eiuſque rei monumento eſt Baſilica* ab eodem Rege Ticini Ambroſio Arianæ hæreſis domitori condita: idemque fortaſſe Grimoaldus Templum Mediolanenſe Ambroſij aliqua ex parte reſtituendum curauit, quod à Longobardis excitatum falsò memorat Vaſarius. *Quare anno DCLXIV., teſte Baronio, Religionem Catholicam, deletà Arianorum factione, Grimoaldus amplexus eſt; cædem verò, quà multis pòſt annis Sanctus Ioannes* Bergomatis Eccleſiæ Epiſcopus eſt ſublatus, perpetrauit Alachis Tridentinorum Dux Arianus, qui Cuniperto Rege vnà cum eiuſdẽ auxilia ribus copijs profligato, Ioannem implacabili in Catholicos odio enecauit. Igitur non caruiſſe cultu ſerpentes Beluni atque Beneuenti fatendum eſt: verùm Mediolani, mortuo Maximiano, Idololatria expirauit, quam certè meminiſſent ſcriptores, quemadmodum reuocatam fuiſſe ad vitam, verèque excitatam ab inferis Arianorum hæreſim memoriæ prodiderunt. Demum Longobardis imperantibus minimè poſitum fuiſſe ob cultum anguium

Martyr. ad diem 13. Octob. & ex Actis Mediol. Eccl.

**Gualla in Sanctuario Papienſi lib. V. Spelta hiſt. Epiſ. Ticin.*

Baron. ad annum Chriſti 673.

**in vita Benuenuti Garofali.*

**Martyr. ad diem XI. Iulij, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ Vghell. tomo 4. ad Epiſ. Bergomi.*

guium in Templo Ambroſij ſerpentem æneum infrà docebunt auctores, quorum fide res tenebitur manu.

Eiſdem fermè argumentis, quibus oppugnauimus Blondum, diluitur ſententia Donati Boſſij affirmantis hunc colubrum indicem eſſe veteris templi, quod olim in area Baſilicæ Ambroſianæ conditum fuerat Aeſculapio, poſtquàm vrbs venit in poteſtatem Romanorum. Suffragantur Donato Bernardinus Arlunus, & Franciſcus Cicereius (nam qui Chalcum atque Georgium Merulam in hanc ſententiam diſceſſiſſe aiunt, hallucinantur maximè: apud Merulam enim de hac re ne mu quidem legi, Chalci verò ſententiam infrà refellam.) Ad hæc Cicereius inſcitiæ damnat, quotquot affirmant anguem hunc illum eundem eſſe, quem Moyſes in ſolitudine erexit: Arlunus autem, non modò ob cultum ſerpentis profitetur Aedem Ambroſianam dicatam olim fuiſſe Aeſculapio, verùm ex Gallo Gallinaceo id conijcit, qui in altera turri campanarum eminet. Boſſius, Cicereius, & Arlunus Arluni ipſius confeſſione induitur ac iugulatur; eorum autem tam mihi probatur opinio, quàm placere alicui poteſt Anaxagoras, cùm niuem nigram dixit eſſe. En locus Arluni: *huius rei coniecturà facilè in eā ſententiam adducor, vt delubrum Aeſculapio nuncupatum exiſtimem: quod & nonnulli, quanquam leues obſcurique nominis auctores, tradidere*

in Chronicis ad annum, 290.

ſect. 1. hiſt. Mediol.

in monum. Mſſ. prætermiſſis ab Alciat.

ibidem.

dere. Quanti ergo Boſſij, aliorumque ſectatorum ſententiam facies, quam leues, & obſcuri ſcriptores tuentur? Hoſce tamen leues ſequitur Arlunus: nec erubeſcit, cùm peccat; illa verò de Gallo Gallinaceo coniectura quanti momenti eſt? Sanè ſi in altera turri campanarum ſpectauerat Arlunus malum aureum, ſacrã Veneri fuiſſe Baſilicam propter Paridis iudiciũ coniecíſſet; cùm tamen (quemadmodum paulò antè docuimus) Gallus Gallinaceus ad vigilantiæ documentum paſſim Superùm Aedes exornet, ac Mediolani ſpectantibus alicubi occurrat: ſeculiſque ſuperioribus in vertice fani Michaelis prope forum Mercatorum Gallum Gallinaceum fuiſſe poſitum teſtetur Galuaneus
in Chron. maiori. atque inde cognomen delubri profectũ. Quid? Quòd circumagi in orbem Boſſius, & ſectatores Boſſij, atque eòdem redire videntur, vnde oritur controuerſia; etenim Aedem Aeſculapio conditam affirmant propter anguem: rurſus anguem Aeſculapio aſcribunt propter Aedem. Verùm ſi quis inficietur nullum vnquam in area Templi Ambroſiani fanum Aeſculapij fuiſſe, vti pernegat Puricellus, quænam argumenta
pag. 328. in monũ. totam hanc Aeſculapij fabulam propugnabunt? Neque verò ſum neſcius colubros quondam, & Gallos Gallinaceos ſacratos fuiſſe Aeſculapio, cui ob ſerpentem Epidaurium diuinos honores tribuit Roma, & à Socrate Critonem admonitum, vt Aeſculapio Gallum Gallinaceum red-
dat;

dat; verùm hæc omnia exoleta iamdiu fuerant, Tertulliano teſte: *nam ſapientia hæc de Schola Cæli, Deos quidem ſeculi negare liberior, quę nullum Æſculapio Gallinaceum reddi iubens præuaricetur*. Quæ omnia cùm ſuperſtite Tertulliano aboleuiſſet Chriſtiana religio, quid illa Ambroſio Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtite reuiuiſcerent: vt, ſin minùs Gallum Gallinaceũ Inſubres, aut Gallinas Aeſculapio immolarent, anguem pro Epidaurio in Aede vrbis nobiliſſima, & celeberrima, ſuperſtitionis impiæ teſtem, numinis & Diuùm venerationi virulentum, in ipſo Martyrum omnium Templo, qui Fidem Orthodoxam ſanguinis ſui pretio ditauiſſent, colerent Ambroſio conniuente? Et quidem Ambroſius cùm ſuperſtitiones alias à ſe fuiſſe antiquatas ſuis in lucubrationibus meminit, quid præteriuit in ſua Baſilica Aeſculapij cultũ? An oculatus Antiſtes & ſcientiſſimus anguem hunc, aut non vidit, aut ignorauit? Quid tanti flagitij monumentum, incolumi adhuc colubro, non deleuit? An æreum anguem extimuit, qui nec Tartareum draconem, nec minaces Cæſarum Aquilas formidauit? Porrò ille ineuntis anni Calendas, quia Idololatriã ſaperent, Chriſtianà religione conſecrauerat: quod vberiùs explicabo in libro de Ritibus Ambroſianis, cùm Liturgiam & preces Circuncisionis Dominicæ exponam, quibus Mediolanenſis Eccleſiæ Liturgi Calendis Ianuarijs ſibi numen conciliant.

in lib. de anima.

Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 12. & Roſinus lib. 2. Antiq. Roman. cap. 17. & lib. 3. cap. 33.

liant. Alia item ſuperſtitio temulentiæ plena vindicem habuerat Ambroſium; etenim cùm Natales Martyrum, redeunte in orbem anno, celebrarentur, peragebatur in Templis Agape (non illa quidem, quæ ſumptâ Euchariſtiâ fiebat ad mutuã Fidelium charitatem fouendam, & leuandam eorum famem, quibus res erat anguſta domi, vti doctiſſimus Cardinalis Bona indicat) verùm Agape alia, quam Ferrandus, vir eruditiſſimus è Societate Ieſu ad aliorum conuiuiorum diſcrimen appellat *Reliquiariam*; quòd ad Superùm Reliquias ageretur. Huic malo vltor ſuperſtitionis occurrit Ambroſius, vetuitque, ne conuiuia eiuſmodi fierent in poſterum, quòd Parentalia potiùs Paganorum viderentur; cui edicto etiam Monica Parens Auguſtini obtemperauit, quæ legis neſcia, delatis *ad memorias Sanctorum pultibus, & pane, ac mero, ab oſtiario prohibita, abſtinuit ſe libentiſſimè*, tantum Ambroſio ſuo deferens: vt, quamuis morem illum Africa retineret, nihilominùs Mediolanenſis Eccleſiæ legibus audiens eſſe vellet. Ergo Ambroſius, qui ſuperſtitiones, qui perſonatã Religionis ſpecie conuiuia, qui cœtùs combibonum è Superùm delubris eliminauerat, Æſculapium in ſedem Martyrum, ac prope in adyta ipſa admitteret; eamque laudem ſuperſtitionis extinguendæ Ambroſius, & reliqui Preſules Mediolanenſium, qui longo ordine Ambroſium ſunt ſecuti, Diuo Carolo relinque-

Card. Baronius in vita S. Ambroſij.

Lib. I. cap. X. rer. liturgic. n. 4.

in libro diſquiſitionis Reliquiaria pag. 408.

S. Auguſt lib. 6. Confeſſ. cap. 2.

querent? Prætereà cùm apud Aegas Conſtantinus Imperator Aeſculapij fanum ſolo æquaſſet, Ambroſius Aeſculapij ſimulacrum, etiam dirutà eius numinis Aede, immo inauguratà, in ipſis Eccleſiæ Romanæ viſceribus, internecino ad cæteras ſuperſtitiones odio, inultum fineret? Verùm initio fortaſſe cultus ille ſerpentis Moſayci, non Aeſculapij, purus ab omni ſuperſtitione fuerat, poſità quoque minori arà iuxta pilam propiorem, cuius etiamnum veſtigia in fani pauimento apparent; venientibus deinde ſeculis, ob muliercularũ inſaniam, exiſtimantium aſpectu colubri infantium lumbricos fugari, in cultus impij ſpeciem degenerauit. Scilicet id commune fuit cum religioſiſſimis inſtitutis, vt paulatim ſuperſtitione corrumperentur, atque religione ipsà peccantium ſcelus abuteretur impunè; quod accidit ſerpenti æneo Moyſis, qui primùm ſynceros habuit cultores, poſteà ſacrilegio cultum contaminauit. Illud quoq; accedit, quo Boſſij, eiuſq; ſectatorum ſententia infringitur omninò, quòd Aeſculapij ſerpens alià ſpecie, alioque habitu coleretur, quàm Ambroſianus; ſiquidem Aldrouandus, & Cartarius in libro, qui inſcribitur *Icones Diuùm*, denique Natalis Comes Mythologus, atque Iconologus Ripa, Aeſculapij ſerpentem virgæ circunuolutum monſtrant, Epidaurium verò multiplici* quoque volumine terga ſinuantem; quod apertè numiſmata, tam Græca, quàm Latina oſtendunt.

Euſebius in vita Conſtantini lib. 3. cap. 54.

de Draconib. lib. 1. p. c. 16.

** Vide præter cæteros Valerium Maximũ lib. 1. cap. 8. de miraculis & Sabellicum Æneadis 4. lib. 8. col. 851.*

dunt. Cùm autem diſſimilis omninò ſit æreus anguis Baſilicæ Ambroſianæ, miror maximè à nonnullis ſcriptoribus, & paucis admodùm, inuentam hanc fabulam, vt Aeſculapij coluber putaretur, quando condito inibi à Romanis delubro debuiſſet omninò ijs eſſe ſimilis, quorum imaginibus olim Quiritium numiſmata ſignabantur. Immo cùm Epidaurius ſerpens Romam eſſet aduectus, in cuius ſpeciem migrauerat Aeſculapius, illum vtique anguem Ambroſianus coluber expreſſiſſet; atqui in tabula vigeſima Græcorum numiſmatum, quæ Hubertus Goltzius collegit, Aeſculapij ceraſtes, vel eſt compluribus ſpiris ſinuoſus, vel virgam multis nexibus amplectitur, cum titulo ob ſeruata corpora inciſo ΣΩΤΗΡ Anguem pariter Epidaurium Aeſculapius ipſe deſcripſit, poſtquàm Romanorum legationem exaudiuit:

Ouid. lib. 15. metam.

Ouid. ibidem.

Hunc modò Serpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perſpice &c.

Ambroſianus contrà ſerpens, neque virgà, neque multo volumine implicat corpus. Porrò ne Græca tantùm numiſmata conſuluiſſe viderer, exploraui etiam Latina; ad hæc ſubtiliſſimus numiſmatum omnium iudex Carolus Patinus, ſubiectà oculis ſerpentis Ambroſiani imagine, pernegauit, ſe nullum vnquam numiſma illà anguis Aeſculapij ſpecie cuſum vidiſſe; eximij viri iudicium candidè ſignificauit Antonius

nius Magliabechius(quem ego tanti facio,quanti Bibliothecam Medicæam,cui præſidet) Franciſco Bondicho vtriuſque noſtrûm amantiſſimo: *Eſſendo da me il Sig. Carlo Patino, famoſiſſimo Antiquario Franzeſe, ed auendogli io moſtrato il diſegno* (erat ſpecies anguis Ambroſiani, quem ego affabrè pictum ad plures viros ſcrutandæ antiquitatis ſtudioſiſſimos Florentiã aliòque miſeram) *mandatomi dal Sig. Boſca, domandandogliene il ſuo giudizio, mi ha riſpoſto di non auer mai veduto il Serpente di Eſculapio in quella maniera. Il giudizio del detto Sig. Patino ſarà giuoco, e ſarà di vtile per la ſcrittura del Sig. Boſca, giacchè il Sig. Patino è molto famoſo per gli volumi delle Medaglie, che ha dati in luce.* Ipſa itidem ſigna Æſculapij aliam ſerpentis imaginem præſeferunt; certè ſimulacrum, quod Romæ in magnificentiſſimis Burgheſiorum Aedibus ſpectamus, dexterà fert craterem, læuà clauam, cui anguis circunuoluitur. Aram prætereà ad enucleandam veritatem diligentiſſimè interrogaui, quam annò ſuperiore Princeps munificentiſſimus Antonius Triuultius Bibliothecæ Ambroſianæ donauit; illam ſubſtruxerat olim Aeſculapio Auximi in Piceno Caius Oppius Leonas: neque vſquam obuerſatus eſt oculis Aeſculapius erecto collo, ſublatâ caudâ, atque in ſimplex volumen conuolutus. Frontem aræ hæc epigraphe dedicationis memor inſignit:

in ep. ſcrip. Octauo idus Maij 1674. Florentia.

in iconib. Philipp. Tomaſ.

Hanc aram olim fuiſſe Auximi teſtatur Aldus Manutius in libro de orthographia pag. 169. & 171.

Aeſculapio & Hygiæ
Sacrum
C. Oppius C. L. Leonas
VI. Vir et Aug.
Honoratus in Tribu
CL. Patrum et Liberum
Clientium et adcenſus
Patroni Sanctiſſimis
Communicipibus ſuis DD.
Quorum dedicatione
Singulis Decurionibus
X.III. Auguſtalibus X.II. et
Colonis cenam dedit
L D D D

Dexterum aræ latus occupat Apollo altero cubito innixus tripode, dexterà Lauri ramulum ferens; læuum Diana, accensà face, & cane ad pedes iacente, oculis in Deam conuerſis. Marmoris tergo duo inſident ſigilla, alterum Pietatis, circumiacentibus pueris ad impetrandam Virginis opem, alterum Fortunæ, cuius dexteram gubernaculum, læuam implet beato Copia cornu. Propè coronidem inciſa Epigraphe.

Dedicatum Id. Ianuar. Flauio Quintilio & Statio Priſco Coſ.

Eius aræ meminit Franciſcus Scottus, Ioannes Antonius Caſtillionæus, Andreas Alciatus, Saluator Vitalis, Conſtantius Landus, demum Gruterus & Aldus Manutius, qui ad orthographiæ rationem indicandam vtitur hàc epigra-
phà,

P. I. Itinerarij Italiæ pag. 144. In codice mſſ. cui titulus gli onori Eccleſiaſtici di Milano cap. 2. in inſcript. Mſſ. & lib. 3. hiſt. pat. in Theatro triumphali pag. 209 in Explicationib. veterum numiſmatum Roman. pag. 15. inſcrip. 3 pag. 68. in libro de orthographia pag. 171.

phà, docens vocem *cenam* ademptà diphtongo fuiſſe exaratam; quamquam vereor, ne Grammatiſtæ Aldum accuſent Cacographiæ, quando epigraphe illa in arà Auximate inſculpta fuit Conſulibus Quintilio, & Statio Priſco, imperante videlicet Antonino Pio, cui architectus altaris, cælato Pietatis ſimulacro, aſſentari voluit, anno ſeruati orbis terrarum CLXI., cùm iam aureum latinæ linguæ ſeculum abijſſet. Aram hanc in vico Rugabellæ poſitam fuiſſe ante fores Triuultianæ domus teſtantur ſcriptores; ædes ſi quidem in eo vico ampliſſimas habuit Ioannes Iacobus Triuultius cognomento Magnus, quæ nunc plura in domicilia clariſſimarum Familiarum ſunt ſectæ. Porrò illum lapidem, & complures alios exportauit Auximo Triuultius, cùm eam vrbem, domito Guzzono rebellionis duce, in Eccleſiæ Romanæ poteſtatem redegiſſet: cuius victoriæ causà oblatam ab Innocentio Octauo Pontifice Maximo purpuram repudiauit, maluitque inter opimas exuuias Auximatum vetera vrbis illius monumenta referre, quàm ditari opibus hoſtium: vt plurimo in marmore victoriam ſuam ſcriberet, & intactà auri copià dignus planè foret iudicio Alciati, qui *in Republicà vetere Romanà naſceretur*. Denique cælatum caput in arà ſummà animaduerti, crinibus anguineis horrificum, quam ego Aeſculapij ſpeciem putaui: nec vſquam anguem vllum Ambroſiano ſimilem de-

Sarrachus lib. 4. Triuultiados.

in veteribus inſcript. mſſ. in Bib. Amb.

prehendi. Atqui ſimulacrum Aeſculapij, quod fortaſſe huic aræ impoſitum operantium hoſtias expectabat (nam ſe hæc didiciſſe ex vetuſtiſſi-
Syntagmate 7. mo marmore Auximi teſtatur Giraldus) eo erat habitu: ſubucula Græcanica tegere corpus ſuccinctum amiculo, in lacinia fructus picti, dexterà Gallos Gallinaceos gerere; quæ ſanè ſpecies nihil ad Parmenonis, quod aiunt, ſuem.

Quòd ſi Aedem Ambroſianam dicatā olim fuiſſe Libero Patri affirmes, cuius imago draco-
tomo 1. SS. Siciliæ pag. 10. animaduerſ. num. V. nē mentiretur (vti Octauius Caietanus docet) ne digitum quidem verterim, vt aduerſarijs reſpondeam; etenim, nec Ambroſianus coluber Draconis ſpeciem præbet: neque is omninò ante Pontificatum Ambroſij, aut Arnulphi II. fertur Mediolani collocatus. Si quis verò neget Ambroſianam Aedem ſacram fuiſſe Baccho, an illum firma ſatis argumenta de ſententia deijcient? An propter ſimulacrum Dionyſij, quod iuxta odæum olim erectum fuiſſe memorauere ſcriptores? At ſignum illud pars Al-
Chalcus lib. 3. hiſt. Med. cidi, pars Pani nuncupatum exiſtimat. An quia in alterius ex Ambroſianis turribus ianuà inſculpti ſint vindemiatores vitibus vuas deripientes? Verùm quis adeò eſt hoſpes in re-
Puric. in monum. nu. 395. patrià, vt neſciat illud toreuma foribus nouæ turris acceſſiſſe, quo tempore Mediolanenſi Eccleſiæ præerat Robaldus, anno videlicet centeſimo trigeſimo tertio ſupra milleſimum? Itaque nihil huic Ædi commune vnquam, vel

cum Baccho, vel cum Aeſculapio fuit: verùm totam ſtudio Pontificis Ambroſij excitatam cenſet Gregorius Turonenſis: quam illò cùm omnibus Martyribus, ac præcipuè Protaſiò, ac Geruaſio dedicauiſſet, Ambroſianā poſteà conditoris nomine ferunt nuncupatam.

de Gloria Mart. c. 47. cui Ripamontius & Puricellus conſentiunt.

Porrò vix ſerpentem Aeſculapij, & draconem Liberi Patris eliſimus, cùm aliæ ex alijs, veluti ex anguis Cadmei dentibus, fabulæ enaſcuntur. Ego verò, quemadmodum Ripamontius imperitæ multitudinis eam eſſe opinionem exiſtimauit, quæ Ambroſianum colubrum aſcriberet Aeſculapio: ita commentitias, & inanes quorundam ſententias putauerim haud rectè de Mediolanenſi colubro opinantium. Horum mendas, ſicut & Boſſij chronica ſerpentem hunc Aeſculapio tribuentis, ſi caſtigare cogar, Augiam malim repurgare; quamquam viros alioqui ſapientiſſimos Mediolanenſis coluber decepit. Villegas, dum res geſtas à Moyſe literarum monumentis conſignat, Ambroſianum anguem fuiſſe quondam vrbis Inſigne arbitratur: cui fidem iubet veritas abrogare. Etenim Mediolanenſes non alio ſtemmate, vt opinio mea fert, patrias terras inſigniuere, quā Suculà, quæ *mediolanata* in vrbis ortu auſpicatò reperta eſt: eaque (ſi plurimis ſcriptoribus credere licet) ſedi huic Inſubrum omnium principi impoſuit cognomentum. Inde profectum putem, vt Galli Ciſalpini Martem placaturi

dec. I. hiſt. Eccl. lib. V.

in librum cui titulus: Vita de Maria Verg. e de Patriar.

Alciat. Emblem. 2. Sidonius Apoll. lib. 7. epiſt 17. Iſid. or. lib. 15. c. 1. &c.

Alex. ab Alex. lib. 3. c. 12.

verrem immolarent, cui tamen aliæ gentes, aut maioribus victimis ſaciebant, quod moris erat Sabellorum, aut hoſtias alias, vt Perſæ, Lacedæmones (licèt hi frequentiùs canem) & Romani equum, Luſitani hircum, Latini picum, Carmani aſinum altaribus mactandum admouerent. Eiuſdem Inſignis memor Claudianus deſcribit Venerem ad Mediolanenſes proficiſcentem, vt Honorium, & Mariam connubio iungat, quæ magnorum erat ſoboles Regum, parituraque Reges; illa verò

In carmine de nuptijs Honorij, & Mariæ.

Continuò ſublime volans, ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ ſuis oſtentantia pellem
Peruenit;

qui poetæ verſiculi poſitum fuiſſe in vexillis Mediolanenſium Suis Inſigne oſtendunt: idque oculis ciuium obuerſatur, tum in altero fornice Portæ veteris Orientalis, tum in foro mercatorum, nimirum in pergulà eiuſdem fori, quæ à Familià Oſiorum cognomen ſumpſit. Niſi fortè Villegas Draconarios, vti vocant, milites indicat, quos in Inſubrum caſtris manſiſſe Claudianus planiſſimè docet; ſiquidem Venus ad muros reſiſtens, militum agmina, qui Mediolanum tuebantur, alloquitur, ac Marti, quem olim amore impotenti deperiuerat, infenſa: Gradiuum, inquit,

ibidem.

. . . noſtri comites arcete parumper,
Vt ſoli vacet aula mihi: procul igneus horror
Thoracum, gladioſque tegat vagina minaces,

Stent

Stent bellatrices Aquilæ, ſæuique Dracones:
Fas ſit caſtra meis hodie ſuccumbere ſignis.

Furialis illa erat ſpecies animantis in caſtris ad terrorem hoſtibus incutiendum, quem iniecere primùm Romanis legionibus Sacerdotes Tarquinienſium & Faliſcorum: adeòvt ardentibus facibus, anguibuſque prælatis militem Romanum inſueto armorum genere fuderint. Verùm ſigna illa Draconariorum erant militaria, non vrbana: tum verò Inſubres, antequàm Chriſti Seruatoris Religioni nomen darent, ex fano Mineruæ aurea ſigna, quæ immobilia vocabantur, bellum geſturi efferebant; quo ſatis conſtat nunquam Mediolanenſes anguem, præſertim æneum, tanquam vrbis Inſigne prætuliſſe. Immo fac à Mediolanenſibus Draconis etiam Inſigne belli propoſitum, an illud deinde ſerpentis Ambroſiani ſpeciem oculis offerebat? Impendent Dracones haſtæ, infixi iugulo, alis ſubnixi (vt placet[a] Lipſio (qui eorundem icones ex colũnâ Traiani deſcripſit; anguis verò Ambroſianus an alatus? An iugulo innixus haſtâ? An eo habitu corporis, quem Valturius[b] oſtendit? Eodem fermè argumento infirmatur ſententia exiſtimantium* hunc eundem eſſe ſerpentem, qui poſt victoriam Othonis Vicecomitis in arbore aliquâ locaretur, antequàm Mediolanenſes caſtra ponerent; nuſquam enim hunc anguem in caſtris collocatum legimus: quippe nec ſimilis eſt viperæ gentilitiæ Viceco-

Liuius dec. 1. lib. 7.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2.

idē Alex. ibidem.

a lib. 4. de militia Rom. dial. V.

Clauer. c. 13. ad lib. 1. Claud. de laud. Stilicon.

b lib. 10. de re militari.

**Sigonius l. 9. de regno Italiæ & Merula lib. 3. de antiquit. Vicecom.*

apud Theſaur. In Regno Italiæ.

mitum, nec angui, quem ſtemma Bernardi Comitis Italię præfert: & multò antè quàm Otho ad ſacrum bellum proficiſceretur, ſerpentem hunc æneum in Templo Ambroſij collocatum memorant ſcriptores. Ceraſtem alium, Caduceo veluti circunuolutum, adiudicat Mediolano Inghiramius; quod neque refellere, neque affirmare lubet: ne, ſi conſentire velim Inghiramio, Leonem Allatium laceſſam, cui Leoni vel mortuo non inſultauerim impunè. Poſito demum Suculæ Inſigni, rectiùs Mediolanenſes Crucem argenteà in parmà purpuraſcentem ſuſtulere: eiuſque ſtemmatis originem memorat Galuaneus. *Narrat obſeſsâ ab hoſtibus vrbem fuiſſe: ciues, cùm ſummo in diſcrimine verſarentur, à Diuo Georgio è periculis extractos, qui delapſus ab aſtris, ac per aera diſcurrens, quatienſque vexillum purpurea Cruce metuendum, obſidionem ſoluit; ea propter Ciuitatem Soteria vindici ſuo inſtituiſſe, vt quotannis Aediles, ac Decuriones vrbis vnà cum Collegijs artificum die feſto Georgij ad eiuſdẽ Templum irent: ibique, dum res diuina fieret, aurum argentumque Diuo Liberatori, aliaque anathemata donarent, & Ciuitas deinceps Crucem purpuream in ſtemmate præferret. Quod quidem Inſigne non modò religionem Mediolanenſium monſtrat, verùm vrbes alias ad imitationem accendit, quarum plurimæ,* & in Liguribus, & in Inſubribus tantæ Ciuitatis, vel æmu-

in libro antiquit. Etruſcar.

in libro, cui titulus: in antiquit. Etruſca. fragmẽta ab Inghiram. edita animaduerſ. *nu.* 25.

**In Chron. mai. cap.* 489.

**Genua, Papia, Comum, Nouaria, Lauda.*

æmulatę inſignia, vel ciuium noſtrorum beneficio adeptę eodem ſtemmate gloriantur. Immo neque Regiones ipſæ vrbis colubrum vnquam ſuis in Inſignibus geſſerunt; etenim tota vrbs, ſi fides Sigonio, in ſex Tribus diuiſa ob ſenas deinde Portas nomen inuenit, quarum Tribuum Principes, *Capitanei*, vulgò nuncupabantur; itaque ex *Capitaneorum* fortaſſe inſtituto ſingulæ Tribus, ſiue Regiones, ſingulari ſtemmate inſigniebantur. Orientalem Regionem diſcriminat adhuc nigri coloris Leo, Romanam rubri: Vercellenſis laciniam supernè rubentem, infernè albam ſuſtollit: Ticinenſis parmam albam humili ſellà, eàque rubrà, nobilem: Comenſis tabulatum rubro alboque colore diſtinctum, Noua alueolum defert teſſellatum. Quare, vt puto, euelletur ex animis opinio Villegæ; niſi fortè auctor ſtemma Vicecomitum oſtendere maluit: quorum in imperio cùm diu fuit res patria, gentilitià eorundem viperà Mediolanēſem prouinciam exornamus. Verùm quantùm ab Ambroſiano ſerpente diſtat anguis regnatricis familię Vicecomitum? Neque enim hic æreus infantem vllum exanimem dentibus incluſit, ſed ope Superùm, atque Ambroſium Præſidem Templi precando (quo pariter argumento Aeſculapij cultus, ipſo Arluno fatente, infringitur) infantes lumbricis, ac Libitinæ hianti ſubduxit. Colubrum Gentis Vicecomitum oſtendunt tabulæ Alachis Ducis Etruriæ

Alba, Aſta Vercella, Albingaunum, &c.

lib. 8. de Regno Italia.

Sei Rioni o Porte della Città: Orientale, Romana, Ticineſe, Vercellina, Comaſina, Nuoua.

in hiſt. Mediol. ſect. 1. pag. 17.

in annuli fermè ſpeciem conuolutum: alium verò monſtrat gentilitium ſtemma plurimo volumine ſinuatum, ſubrecto corpore, infante ex faucibus prodeunte, quem deſcribunt Sigonius [a], Alciatus [b], Merula [c], Iouius [d], Ripamontius [e], denique Torquatus [f] Taſſus:

Ne tre fratei Lombardi al chiaro mondo
Innoli Achille, ſforza, e Palamede,
O'l forte Otton, che conquiſtò lo ſcudo,
In cui dall' angue eſce il fanciullo ignudo.

Anguem illum ferebat Volux in cono galeæ, Turnum fortè imitatus,

[g]*Cui triplici crinita iubà galea alta Chimarā*
Suſtinet, Aetneos efflantem faucibus ignes;

quamquam perterreri criſtà caſſidis minimè potuit Vicecomes, quę, cùm ab infante dentes abſtineret, ceraſtem illum eſſe mortalibus innoxium probabat. Quòd ſi grauem æneo ſerpente (Ambroſiano videlicet) galeam geſſiſſet Volux, profectò æris antè pondere concidiſſet, quàm Othonis ferro.

Quamobrem fruſtra eſt [h] Chalcus, qui miraculi alicuius, vel triumphi causà ſerpentem æneum in Templo Ambroſij collocatum arbitratur, quemadmodum anſer in Capitolio ob arcis illius tutelam eſt poſitus; huiuſce poſtmodùm anguis imaginem ab ijs vſurpatam, qui prætento Ambroſij nomine populares eſſent, ac vulgi ſtudia aucuparentur, donec ille in Vicecomitum Gente miraculi atque vrbani

Ex domeſtico tabulario Illuſtriſs. Marchionis Vercellini Mariæ Vicecomitis.
[a] *lib. 9. de regno Italiæ.*
[b] *in libro de ſingulari certamine c. 43. & emblē 1.*
[c] *lib. 3. de antiquit. Vicecom.*
[d] *de Princip. Mediol.*
[e] *lib. 10. dec. 1. hiſt. Mediol.*
[f] *cantu 1. Hieroſol.*
[g] *Virg. Æn. 7.*
[h] *hiſt. pa. lib. 3.*

imperij gratià perennauit. Atqui gentilitiam Vicecomitum viperam huic omninò diſſimilem eſſe apertiſſimè conſtat; quibus autem argumētis, teſtimonijſue confirmat cætera Chalcus, quæ tradit? Adeone oſcitantes & rei patriæ negligentes habuimus ſcriptores, vt triumphi victoriæque iſtius, quæ miraculo, & diuinà, quod aiunt, virgulà, parta ſit, nuſquam meminerint? An Volucis interfecti exuuiæ Chalcum tuentur? At quantùm diſtant æra lupinis, tantùm Volucis viperæ æreus anguis. Fortaſse indicare placuit Chalco victoriam Vberti Angieræ, à quo ferunt anno quadringenteſimo immanem Draconē ad Templum Dionyſij occiſum, cuius halitus patrium cælum inficeret, & corpora ſubità tabe corrumperet? Tum fuſum, aiunt, ex ęre ſimulacrum Draconis, & in Aedem Ambroſij illatum: eiuſque causà Vbertum auctorem eſſe gentilitij Stemmatis, ac Familiæ totius Vicecomitum. En cor Zenodoti: en iecur Cratetis. Gens clariſſima Vicecomitum originem à Regibus Longobardorum ducit: noſque oſtendemus initio hiſtoriæ de Pontificatu Gaſparis Vicecomitis Archiepiſcopi, quam perſequimur (nam hæc, quæ de ſerpente æneo tradimus, pomeridiano ſopore fraudantes oculos, Quintili calente ſcripſimus) nec quidquam debet Vberto Angieræ Gens Vicecomitum: tum quia regios habet ſuæ propaginis conditores, tum quia Dracones eiuſmodi

Morig. lib. I. hiſt. cap. 2. Scotus in Itiner. Italia, Vadingus in notis ad lib. 2. Petruccij in vita B. Iacobi de Marchia; Caſtelletus in epiced. Io. Galeatij Ducis & alij.

modi

modi naſci in Italia poſſe cõſtanter negat Lancellotus, vir ſummâ eruditione, ſed imparis fortunæ (vt mos eſt literatorum omnium, quos exoculata fortuna non videt, quibuſdam tantùm follibus blandiens, qui vtero ingentem auræ vim ferunt, cæterùm pleni inanijs) in libro, cui à commentis ſcriptorum nomen impoſuit: *Li Farfalloni*. Quam (inquit Lancellotus) in Italia peruſtam nimijs ſolibus regionem ſpectamus ſiticuloſæ ſimillimam Libyæ? Vbi paludes adeò limoſæ? An Camarina rurſus aliqua prodiuit

Al farfallone 98.

fatis nunquam conceſſa moueri?

Virg. 3. Aeneid.

Draconum nomen plenum panici terroris eſſe, ac proinde animantes quaſdam inſani corporis monſtroſas planè, nec vnquam viſas, cùm primùm in oculos inciderint, draconum nomine appellatas: eas, quas Templorum tholis ſuſpenſas videmus, Crocodilos eſſe, non Dracones: ſymbolis itidem proxima videri, quæcunque de Sancto Georgio in tabulis pictis proponuntur; quippe nunquam Georgius virginem vllam Draconis faucibus eripuit, verùm vrbem aliquam peſtilentiâ, vel calamitatibus alijs liberauit: ideò vrbs ſpeciem muliebrem, ciuilis ærumna metuendã Draconis induit formam; ab Eccleſia nullas diebus feſtis Georgij ac Margaritæ rerum geſtarum epitomas in matutinis precibus recitari ob commenta Draconum, quamuis alioqui Sanctimoniæ, & Martyrij teſtata

Symbolica eadem eſſe affirmat Lorinus in caput XXI. Numer. pag. 780.

ſtata

ſtata ſint monumenta. Diſcedere me tamen à Lancelloti ſententià cogunt Eccleſiæ faſti, quos nunquam mendacij arguam. Nam Sanctus Sylueſter[a] Romæ Draconem interfecit; & ne longiqua ſedibus adeamus, vt naſci in Italià poſſe Dracones conſtet, Laudæ in aquis ſtagnantibus Lacus, cui à maris ſimilitudine maris Gerundi nomen inditum, enatum Draconem tradunt,[b] ciuibus noxium, Diui tandem Chriſtophori ope, exhauſtà repentè lacunà, interemptum: inde memores beneficij, reoſque votorum Laudenſes excitauiſſe Chriſtophoro Aedem, ac prope Martyris aram ſpectari etiam nunc prægrandem ſpinam Draconis, oſſis inſtar bubuli, & tabulam voti ac beneficij teſtem: ſoteria quotannis inibi perſolui ſeptimo Idùs Ianuarias[c]. Quòd autem in matutinis precibus Georgij & Margaritæ nullas factorum periochas legamus, inde profectum exiſtimat doctiſſimus Cardinalis[d] Baronius, quòd acta Sācti Georgij Diuus Gelaſius Papa expunxerit, nāque in ijs pleraque fuerant ab hæreticis in ſcribendo vitiata: quemadmodum etiam improbaſſe acta Sanctæ Margaritæ auctor eſt Radulphus Tungrenſis, licèt Tungrenſem Baronius reprehendat. Quamobrem eadem potuit calamitas Mediolanenſium incolumitati officere, quæ olim vexauit Laudenſes: ſiue enim appelles Draconem, ſiue colubrum ingentem, nihil moror; nam ſerpentes longæui, ac inuſitatæ

a *Baron. in annal. tomo 3.*

b *Caſtillionaus faſciculo nono Mediol. antiquitatum, Villanoua nell' Iſtoria di Lodi, Defendente Lodi diſcorſo ottauo.*

c *Ex ijſdē ſcript. & Calēdario Laudēſis Eccleſiæ.*

d *in notis ad Martyrologiū Rom. ad diem 23. Aprilis et 20. Iulij & cap. 2. in tractatione de Martyrol. Romano.*

tatæ

tatæ magnitudinis, ſi credis Geſnero, Dracones appellantur. Cæterùm vno dilemmate argumenta eorum, qui anguem Ambroſianum Vberto aſcribunt, infirmamus; etenim cùm omnes ad vnum ſcriptores velint æneum ſerpentem in Aede Ambroſiana locatum, vel ab Ambroſio ſedis parente, vel ab Antiſtite Arnulpho II., iam, ſi rectè concludam, teneo; ſi enim in Templo Martyrum collocatur ab Ambroſio, ergo ante necem Draconis: ſi ab Arnulpho, iam poſitus eſt ſexto pòſt ſeculo, cùm vix meminiſſe liberatoris Vberti, & Draconis interfecti ciues poſſent: eumque, dum ab Arnulpho ponebatur, certò ſcirent ex gaza Imperatoris Byzantini fuiſſe prolatum.

Iam verò à Draconibus, quibus implexus hactenus Laocoontis inſtar fui, venio ad anguem ęneum, digitum propiùs intendens ad fontem. Et primùm duas in factiones abeunt ſcriptores; alij conflatum hunc anguem ex eodem ære cenſent, ex quo ſolis in locis Moyſes duxit colubrum languenti quondam populo ſalutarem: alij illum eundem eſſe arbitrantur, quem Moyſes ad ſanandas Hebræorum Tribus ſuſtulit; hos vt ſequar, inclinat animus. Priori ſentẽtiæ ſubſcripſerunt Corius [a], Sigonius [b], Lorinus [c], Matthæus Caſtillionæus [d], Beſutius [e], Ioannes de Deis [f], Ripamontius [g], Vghellus [h], Carolus à Baſilica Petri [i], Gluſſianus [l], Villa [m]: neoterici omnes, modò Corium

a part. I. hiſt. Mediol.
b in Regno Ital. lib. 7.
c in comment. in lib. Sapiẽtiæ cap. 16.
d in libro de reb. geſtis Cõtis Caſtillionææ pag. 8. & ſeq.
e in hiſt. Pontific. Mediol. pag. 135.
f in Succeſſorib. S. Barnabæ.
g Dec. I. hiſt. Mediol. lib. 5.
h tomo 4. Italiæ Sacræ col. 32.
i nel libro delle antichità di alcune Chieſe di Milano.
l in nei libri delle ſette Chieſe di Milano.

rium excipias, qui ducentis fermè abhinc annis patrios faſtos exarauit: iiſq; accedit vnus aut alter ex recentiſſimis. Hanc igitur ſcriptorum familiam ducit Corius, Corium ſequitur Sigonius, vtrumque cęteri; ego verò ſi ducem petam, ſatis aliorum fuſum diſſipatumque agmen puto. Quorſum igitur Corius ſerpentem hunc nuncupat *Reliquias*, ſi ex eo tantùm ęre eſt conflatus, ex quo Moſaycus conſtat? En locum Corij fideliter deſcriptum: *Simelmente Nicephoro eſſendo ſtato priuato de lo Imperio Conſtantinopolitano, remiſſe: e già eſſendo morta la Imperatrice, deſtinò a lui Arnolpho Arciueſcouo non poco amato da epſo con ingente comitiua, acciò la figliuola di Nicephoro ſpoſaſſe per ſua mogliere. Adunque eſſendoſi celebrato le ſponſalitie: quello Imperatore fece moſtrare il ſuo theſauro ad Arnolpho, il quale non volendolo minuire vi gittò entro vn precioſo anello, che hauea in dito: e per* Reliquia *tolſe vn certo* Serpente, *il quale loro riferiuano eſſere de quello proprio metallo, del quale Moyſes fece il ſuo grande nel deſerto &c. E queſto con licencia di Nicephoro portò a Milano l'anno de Chriſto nonageſimo nono ſopra nouecento: et il miſe ſopra vna colonna ſcontro alla Croce nel Templo di S. Ambroſio, e quiui a noſtri giorni gli è grandiſſima deuotione*. Quam falsò hęc tribuat Nicephoro Corius, & quantùm cum temporum ratione pugnent, in vmbilico Micrologi oſtendam

dam

dam (namque nonnullis in locis non ſatis conſideratè ſcripſiſſe Corium de ſententiâ Caroli à Baſilica Petri teſtatur Puricellus;) atqui minùs religiosè Corius *Reliquias* appellaret ſerpentem modicâ ęris Moſayci portione conſtantem: quem tamen omninò in *Reliquijs* vetuſtiſſima Mediolanenſium Chronica reponunt, quòd is anguis ipſus eſt, immo ipſiſſimus, quem Moyſes à Deo iuſſus condidit. Etenim aut ex eo conflatus eſt ęre, quod ſuperfuit, aut ex fragmento colubri ab Ezechia confracti, quemadmodum Græci in palatio Imperatoris affirmabant; at neutrum eſt conſentaneum veritati: quibus enim Chronicis aut ſcriptoribus fulciuntur Corius, & Sigonius, vt ſuam ſententiã Græcorum teſtimonio confirment? Quidni auctores produnt Eiuſmodi teſtimonia perhibentes? Scriptores quidem ferè æquales Antiſtitis Arnulphi, & antiquiſſima vrbis monumenta hunc colubrum eſſe Moſaycum volunt, quibus credere malim, quàm Græcis, quorum fidem ſatis notat parœmia. Atqui Ioannes Villa ex fragmento anguis Moſayci conflatum arbitratur, quod fortè Imperatori oblatum eſt; verùm quorum ſcriptorum auctoritate hæc effutit, cùm non modò noſtratium magna pars mihi conſentiat, ſed etiam exteri in meam ſententiam deſcendant. Quæ autem fors offert, eadem nullam obtinent fidem: tum verò ſatius fuiſſet ſeruari fragmentum prototypi, quàm ex

nu. 461. *in monũ. Baſil. Ambroſ.*

Vide infrà Chronic.

frag-

fragmento ectypum ſerpentem, prioris formæ, religionis, & pretij oblitum, conflari. Sin autem ex eo ære fuſum putat cum ſuis ſectatoribus Corius, quod Moſayco ſuperfuit, quis eum ceraſtem *Reliquias* appellabit? An ego ferri maſſam, ex quà Claui Dominici, aut Martyrum effecti, an reliquam arborem, ex quà deſectæ Chriſti Seruatoris, vel Superùm interemptorum Cruces, *Reliquias* vocabo? At ex ęre Moſayco conſtet, quid ? poſteà attinuit ſerpentem hunc in fruſta ſecari? An quia confractus eſt ab Ezechia? Enimuerò ab Imperatoribus Græcis reſtitutus, meminiſſe potiùs debuerat ſolidi ceraſtis, quàm fracti. Quòd ſi affirmes eſſe reſtitutum ad ſimulacrum anguis conſciſſi: quorſum tanti fiebat à Græcis imago ſerpentis, vt in regià gazà ſeruaretur? Hanc, niſi fallor, ſententiam penitùs eneruat Morigius: *E benche alcuni Autori habbino detto, ch' egli non è quel ſerpente iſteſſo, che fece gittar Moisè per commiſſion di Dio, ma che è fatto di quel metallo iſteſſo, che fù gittato quello: nondimeno io mi accoſto a quei Scrittori, che dicono, che egli è quello iſteſſo. Primieramente è coſa certa, che il Rè Ezechia lo fece ſpezzare, come è ſcritto nel quarto libro de Rè al capo 18. E queſto ſi vede ſaldato in tre pezzi; appreſſo, ſe queſto non fuſſe quel vero ſerpente, l'Imperatore non l'hauerebbe poſto nel ſuo teſoro fra le coſe ſue rare e precioſe; oltreche il noſtro Arciueſco-* *in Santuario Mediol. cap. 4.*

uo non hauerebbe fatto tanto capitale d'hauer queſto antico ſimulacro, e farlo riporre a perpetua memoria nella Chieſa del noſtro Protettore, ſe non haueſſe ſaputo, che fuſſe ſtato quel di Moisè. Ancor ſi può aggiungere, che non ſi trouano Scrittori autentici, che dicono, che di quel metallo, che auanzò, fuſſe gittato vn'altro ſerpente ſimile a quello: ne che ſia poi ſtato rotto in tre pezzi. Itaque nutat hæc paucorum opinio, cũ aduerſa ænea prope ſit, tum longè plurium ſcriptorum ac Corio Sigonioque antiquiorum auctoritate, tum conſtanti monumentorum fide & ciuium opinione, quibus veritas apertè eluceſcet, & Lorini ſententia deficiet profitentis, ſe ex Annalibus Mediolanenſium, quæ tradiderit, collegiſſe: qui Annales primùm ferè omnes perierant, teſte* Bonauentura Caſtillionæo, antequàm Lorinus ederetùr in lucem: tum verò Chronica vetuſtiſſima (quæ fortaſſe Annales vocat) mihi ſuffragantur: eorumque auctores mox citabo ad ferenda ſuffragia nominatim. Porrò nomenclaturam Archiepiſcoporũ Mediolanenſis Eccleſiæ, quam Ioannes de Deis ex codicibus manu exaratis Bibliothecæ Vaticanæ & Cardinalis Sirleti deſcripſit, atque typis Romanis edidit anno MDLXXXIV. parui pendo: nam libros illos mendoſos eſſe, ac Chronologorum fidei abſonos oſtendet infrà error in ſcribenda epitoma rerum geſtarum Arnulphi II. Archiepiſcopi, quo eundem legatum

** In vita S. Barnabæ Apoſt. mſſ. in Biblioth. Ambroſ., qui Caſtillionæus mortuus eſt anno MDLV. Lorinus autem natus eſt anno MDLIX. vt tradit Alegambe in Bibliotheca Scriptorũ Societatis Ieſu*

tum iuiſſe ad Nicephorum Imperatorem memorant: tum verò Codices ij nunquam æquabunt eorum Chronographorum ætatem, quos fere æquales fuiſſe Arnulphi liquidò patet. Et quamquã alij ſerpentẽ Ambroſianũ Theodoſio ſeniori, alij Byzantino Imperatori referant acceptũ, nobis tamẽ, vtri debeamus, decernere nõ vacat: modò hunc eundem eſſe Moſaycum ſtatuamus. Vt autem ciues ac peregrini homines intelligant, vtrùm prudenter, an temere horũ opinionem ſequar, ordine ſingulorum teſtimonia totidem verbis proponam, difficiliora identidem loca explicando; ac primùm, quæ ex codicibus manu exaratis Bibliothecæ Ambroſianæ decerpſi, Micrologo ſeu potiùs Macrologo inferam: tum accedent Latini ſcriptores, & Itali, poſtremò Galli; qui verò nobis minimè fauent, repudiati diſcedant. Et quidem librarium agam, quò hæc ſint magis dilucida & expeditiora ad notitiam veritatis.

Ergo ante alios ſcriptores Datium appello (qui tamen Datius alius eſt ab eo, cuius meminit [a] S. Gregorius Papa, [b] Caſſiodorus, Romanum Martyrologium [c], & Cardinalis Bellarminus [d],) eius Chronica initio Pontificatus Gregorij VII. concluduntur, qui anno MLXXIIII. Petri tenuit ſedem. Et ſanè, licèt hæc Chronica adeò vetuſta ſtudium induſtriamque fefellerint Cardinalis Federici Borromæi (qui ad locupletandam Bibliothecam Ambroſianã

a *In dialog. vt infra.*
b *lib.12. variar.*
c *ad diē 14. Ianuarij.*
d *de ſcriptorib. Eccleſ.*

veteres præſertim membranas diligentiſſimè conquiſiuit) nec vſquam reperta fuerint, vti rectè animaduertit Puricellus, tamen teſte Galuaneo (cuius teſtimonium infra afferemus) conueniunt nobiſcum, & clarè docent *SERPENTEM AENEVM, QVEM MOYSES IN DESERTIS EREXERAT, MEDIOLANVM AB ARNVLPHO ANTISTITE FVISSE DELATVM.*

a *in diſſertat. Nazariana cap. 39. nu. 16. & 14.*

Datio ſubſcribit Landulphus ſenior (namque alter b iunior, qui ob Compitalitiã S. Pauli Curiã Landulphus de S. Paulo eſt vocatus, res patrias ab anno milleſimo nonageſimo ſexto vſque ad trigeſimum ſextum ſupra milleſimum centeſimum ſcribendo eſt complexus) cuius monumenta c vulgò Datij Chronica nuncupãtur, eaque ſcripſit d auctor anno ferme milleſimo octogeſimo; porrò de Arnulpho Archiepiſcopo, memoratà legatione Byzantinà, hæc tradit. *Veniens autem Arnulphus à Magno Valperto Quintus* (Valperto enim Archiepiſcopo, ciui Mediolanenſi, ex nobiliſſimà Medicæorum Gente, ſucceſſit Arnulphus I., Arnulpho Gofredus: poſteà Landulphus II. atque Arnulphus II., de quo agimus, Eccleſiam Mediolanenſem rexere) *viriliter Epiſcopatum gerens, mortuo tamen Othone*, (Magno Othone videlicet, ſiquidem imperium Romanum adminiſtrauit

b *Puric. in monũ. Baſil. Amb. nu. 281.*
c *In Biblioth. Ambroſ. & Metropolit. in Memb. mſſ. num. 1130.*
d *Puric. in diſſert. Naz. cap. 37. nu. 8.*

Otho,

Otho, pòſt Otho, regnauit tertius Otho) quem Valpertus vnxit in Regem, Regali Curia Othonis III. Regis filij Othonis II decenter ſecundùm tempus ſeruiebat. Erat enim Otho Othonis filius ſedens, à filio coniugali, mortua coniuge, ex qua ſibi filium maſculum minimè genuerat, alienus. Qui cùm in caſtitate videns per humanam fragilitatem perſiſtere ſe non poſſe, grauiſſimum ducens fore crimen, Reges aut adulterijs ſordidari, aut fornicationibus coinquinari, tandem Arnulphum, cum quo ſe de coniuge congruè conſiliaretur, aduocari præcepit. Itaque Arnulphus, tùm ante Imperatoris faciem adueniſſet, Rex è ſolio ſurgens honorificè eum ſuſcepit: tandem conſilio accepto ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, vt filiam ſuam vltra omnes virgines ſplendidiſſimam ſibi coniugio ſociaret, Arnulphum ineffabili theſauri argentique pondere onuſtum Curialiter direxit. At Arnulphus omnibus affluens diuitijs, cùm in Curià Conſtantinopolitanà, receptus tamen honorificè ab Imperatore, admirabilique militum ac Clericorum exercitu ſtipatus veniſſet, per aliquos dies moratus, & cum ſuis omnibus ex longo itinere, atque labore fatigatis recreatus, equum imperialem, quem Otho Imperator Romanus ſibi ad huius laboris ſolamen donauerat, ſubſtrato pallio admirabili, ferris aureis, & clauibus argenteis, pedum vngulis abraſis curiosè aptari fecit. Igitur huius rei fa-

Alſtedius tomo 4. in Chronol.

mà per palatia Regis incunctanter volante, rem milites Palatini inauditam audientes, vniuerſi coram Imperatore, more ſolito, adſtantes vehementer admirati ſunt; etenim hoc Arnulphus ad honorem Romani Imperij excellentiæ, atque magnificentiæ Regis Othonis, totiuſque Italiæ fecerat. Tandem cùm Arnulphus magno ducatu militum ſtipatus, quos pellibus martulinis aut cibelinis, ac renonibus varijs & hermellinis ornauerat, quibus Imperator mirificè eum imbuerat, ab Imperatore de filia eius eſſet ſecurus, & ipſe ante faciem eius ſolus, adſtantibus multis Epiſcopis, ſummæ magnaq; dignitatis, quibus ante præſentiam Imperatoris ſedere non licet, ſuper cicontgitronum (fortè in puluillis poſitis circa thronum more Græcanico) *ſederet, multis per interpretem rebus ſermocinatis, quod intus Arnulphus erat, foris apparuit. Interea Imperator Arnulphum, vt ſecum venatu, quaſi ad depellendas corporum grauitudines iret, precatus eſt. Arnulphus autem voce benigna, primò paululum tacitus, inter ſe cogitans Ordinē Epiſcopalem, in quibus exercere ſe debet, tandem dixit: ego enim, vobis ſi placet, qua hora meas venationes inſequi ſolitus ſum, meis armis, meiſque militibus, die craſtino mediante, ad vos veniens præparatus ero. At Imperator de quibus armis, quibuſque militibus Arnulphus dixiſſet, minimè per interpretem, ipſo balbutiente, intellexit. Veniens autem Arnul-*

phus

Digitized by Google

phus die ſtatutà, Epiſcopalibus indumentis ornatus cum ſtolà, ſine quà nunquam foris, aut in ciuitate vllis negotijs interuenientibus aut perturbationibus eſſe ſolitus fuit, & chriſma (fortaſſe vt ſignificaret, ſe initiandis liturgis, non feris inſectandis addictum) *honorabiliſſimiſque Clericorum ordinibus vallatus, quos ſecum tulerat, & tribus cum Ducibus honorandus peruenit ad Imperatorem. Quo viſo Imperator permultùm inter ſe admirans, videns tantum virum in Dei opere religioſum, ſapientem, diſcretum, atque benignum, aliquantulum, quod de venatione dixerat, verecundatus, per omnia laudans atque magnificans, & gracè ſermocinando ipſum extollēs ſubſiſtit. Quod factum Graci Epiſcopi, Archiepiſcopi, Sacerdotes perplurimùm, quòd eo in tempore Curia inſiſtebant, mirantes, erga Latinos tantam religionem minimè fore credentes, permultùm Beatum Ambroſium benedicentes, dicebant: decens & competens ratio fuit, vt ſicut nos Beatus Ambroſius vſque hodie diuinis alit alimentis, ſacratiſſimiſque admonitionibus, vel ſuos filios lacte & melle verbi diuini informat: ſic Dominus Arnulphus tanti viri, tantique Patroni ſucceſſor ſuis nos exemplis modò zoliſizando informaret. Intereà Imperator & Arnulphus cum paucis Epiſcopis in vnum conuenientes ex ſecretis tractauerunt conſilijs. Moratus autem Arnulphus per tres fere menſes apud Imperatorem, gratià Regis adeptà, SER-*

PENTEM AENEVM, QVEM MOYSES IN DESERTO, DIVINO IMPERIO ADMONITVS CORAM FILIIS ISRAEL EXALTAVERAT, IMPERATORI QVAESIVIT ET HABERE MERVIT: ET VENIENS IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII IPSVM EXALTAVIT. De quo S. Ambroſius in Hexameron: & ipſe ſicut ſerpens exaltatus deuorat colubres Ægyptiorum. Demum multis & magnis donis ex auro, & gemmis dotatus cum filia eiuſdem, quæ Romano Imperatori traderet in coniugio, lætus & hilaris ferè vſque ad Portum Barianū peruenerat. Ecce enim ex improuiſo vox humana Regià, quam Imperator cum ineffabili pondere auri & argenti Arnulpho & ſuæ filiæ donauerat, dicens Othonem Imperatorem Romanum mortuum eſſe, inſonuit. At Arnulphus vocem huiuſmodi audiens, aliquantulum expaueſcens, viriliter vniuerſos exhortans, voce Epiſcopali, omnes intuens, dixit: O Fratres, vox enim hæc phantaſtica, vt nos terrefaceret, venit. Vox eſt illius, qui protoplaſtos decepit, qui Redemptorem noſtrum olim bis terque temptauit: de quo ipſa veritas dixit, mendax eſt ab initio & pater eius, cui aliquis Fide Catholica imbutus fidem exhibere non debet. Itaque omnibus ambagibus obmiſſis ad portum ſalutis, velis dimiſſis, accelerare feſtinemus. Tandem, cùm in portu per tres dies ſederet, vt res erat, in veritate compertum eſt. Propterea cunctis

graui-

grauiter congemiſcentibus, magnis lamētis, magniſque ſuſpirÿs Arnulphus & Regis filia cū omnibus ſuis ad patriā domū remeans ſeparati sūt.

Hic fuit geſtæ legationis exitus, à quo leuiſſimè diſcrepant Chronica reliqua, nuſquam tamen vitiatis de ſerpente æneo monimentis. Cæterùm Stola, quæ geſtabatur ab Arnulpho Byzantij, fortaſſe inſigne erat Legationis aut imperij Metropolitici; Pallium autem Pontificale appellatum fuiſſe Stolā auctor eſt [a] Ioſeph Vicecomes ex Doctoribus Bibliothecæ Collegijque Ambroſiani, qui iudicio Ioannis Bonæ Cardinalis eruditiſſimi [b] *de antiquis Eccleſiæ ritibus plures libros doctè & luculenter conſcripſit*; verùm Stolam delatam fuiſſe ab Arnulpho extra fines Metropoliticæ Prouinciæ miror maximè; niſi duo genera Pallij eſſe affirmemus Romano, & Gallicano ſimillima, quorum altero in ſua Metropoli, altero vbique Antiſtites vterentur; quamquam Cardinalis Bona [c] huic ſententiæ nequaquam ſuffragetur. Porrò cùm legationem Mediolanenſis Archiepiſcopus obiret, à Baſilio & Conſtantino Orientis, ab Othone III. Occidentis gerebatur Imperium; ſiquidem reuerſus in Italiam Arnulphus, vbi accepit, Othone mortuo, Ardoinum Demarchum Eporediæ Regem Italiæ fuiſſe deſignatum, atque à Vidone Ticinenſium Antiſtite ferreà coronà redimitum, enim verò vt erat Arnulphus mente ſolidà, ac iuris

a *in lib. de Miſſa apparatu lib. 4. cap. 3.*
b *in notitia Auctorum in libro cui titulus* Pſallentis Eccleſiæ harmonia.
c *lib. 1. de rebus liturgicis cap. 16.*

Digitized by Google

Pontificij tenax, vitio creatum eſſe Ardoinum pronuntiauit, ac ſubinde in locum Othonis ſubrogauit Henricum Ducem Bauariæ, cognomento Claudum, virum Sanctiſſimum, cui antea regnum [a] Diuus Vuolphangus Epiſcopus Ratiſponæ portenderat: eumque poſtmodùm Arnulphus [b] Regno Italiæ ferreoque diademate in Ambroſianà Baſilicà inſigniuit; licèt etiam Ardoinus [c] in cœnobio Fructeriæ abditus, redactum ſe in ordinem ſummà animi conſtantià ferens, reliquam vitam purè integrèque traduxerit. Hæc omnia congruunt & cohærent cum ratione temporum; quippe anno milleſimo ſecundo coronatum fuiſſe Ardoinum teſtantur ſcriptores [d], ac tabulæ [e]: Arnulphus, Pontifice Gregorio V., Mediolanenſis Eccleſiæ infulà auctus fuerat; quod arguit mēdacij ſcriptores, qui Arnulphum legationis causà profectum ad Nicephorum Phocam tradiderunt, cùm [f] is anno nongenteſimo ſexageſimo nono fatis conceſſiſſet: neque eà legatione Arnulphus antea fungi potuit, quando fere omnes memorant ipſum cum Stola Byzantij moratum, quæ Pontificalem honorem indicabat; neque Theophania Othoni III. nupſit, ſed Othoni II., ſic annorum ordine poſcente alioqui hiſtoria temporum teſtis vitium patietur. Certè capeſſiuit Pontificatum ſuum Arnulphus anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo: quam initi Pontificatus fidem faciunt

tabulæ

[a] *Baronius ad annum Chriſti* 1002.
[b] *Bucelinus in nucleo ad annum* 1005. *Pingonius in Augusta Taurinor. Puric. in monum. nu.* 208.
[c] *Arnulphus lib.* 1. *hiſt. mſſ. & Caſtillion. in notis ad Regnum Italiæ*
[d] *Campus vol.* 1. *hiſt. Eccl. Placent.*
[e] *Ex priuilegio Ardoini ſignato anno* 1002. *vt in tabulario Inſigni; Cœnobij Ambroſ.*
[f] *Baron. to.* 9. *pag.* 911.

tabulæ anno decimoquarto ſeculi vndecimi ſignatæ, quæ tum Pontificatus Arnulphi annũ decimum ſeptimum numerant; Eas autem tabulas inuenimus in tabulario Veſtalium Sanctæ Mariæ in Valle, ſeu in Vallo, Mediolani. Cùm verò hiſtoriographus Landulphus ſcribit Othonem fuiſſe alienum à filio, coniugij ſterilitatem exponit: etenim ex Maria coniuge nullam prolem maſculam ſuſceperat; quam obſcuram rationem explicandi, & barbaris vocibus abſonam, ſecula illa intulerant, quæ ob frequentes regnorum motus, atque Trãſalpinorum irruptiones habuit quidem ſcriptores candidos, verùm latinæ linguæ rudes; quo vitio laborant reliqua Chronica: donec ad hæc tempora ventum eſt, quæ iratis lĩteris mortalium ingenia conciliauere. Quamobrem Datius, & Landulphus æquales fere Arnulphi (nam de Arnulpho alio ſcriptore opportunè meminero) quorum propemodum oculis legatio tota eſt obuerſata, clarè ſerpentem hunc eſſe Moſaycum affirmant, queis veritas abrogari non niſi temere poteſt. Neque verò incredibilia narrari à Landulpho cenſeas, cùm Arnulphi legationem obeuntis comitatum & pompam ad miraculum Aulæ Byzantinæ deſcribit; nam innata fuit Mediolanenſium Præſulibus magnificentia adeò vt vel in ſummã calamitate, quanta eſt bonorum & Patriæ iactura, animum ſuum & dignitatem longiùs à

ſe

ſe abeſſe atque exulare minimè paterentur. Teſtis eſt Datius vir Sanctiſſimus, qui Fidei tuendę causà ex Prouincia Inſubrum exactus, cùm Corinthi, in magna videlicet vrbe & totius Achaiæ principe, ædes amplas totiuſque comitatus hoſpitas perquirens, vix inueniſſet, adire inhoſpitalem domum lemurumque tantùm ac laruarum, non hominum ſedem, coactus eſt: quæ vna in frequentiſſima vrbe (vti memoriæ prodidit [a] Diuus Gregorius) excepit Datium eiuſque famulitium; licèt nocte intempeſtà Dæmon incola domicilij ferre hoſpitem Datiũ minimè poſſet, ædium poſteà poſſeſſione depulſus. Quamquam autem Sigonius [b], Ripamontius [c], Palatius [d] & Vghellus [e], Arnulphum I. legatione Byzantina defunctum aſſeuerent, eidemque munus ſerpentis ænei adiudicēt: nihilominùs non modò ſcriptores omnes & monumenta patria, verùm acta Ardoini & Henrici præter chronologiæ errorem non dubium apertè refragantur; ad hæc Vghellum [e] video inconſtantem, qui modò ſeniori Arnulpho, modò iuniori eundem anguem refert acceptum.

Comes it Landulpho Gothofredus Buſſerus Curio Rodelli, quem rebus humanis interfuiſſe anno MCCXX. teſtantur eiuſdem lucubrationes [f] ſuperſtites adhuc in Bibliotheca Diui Caroli, quam ille abiturus ad Superos nobiliſſimo Ædis Metropolitanæ Collegio legauit: cætera

a lib.3. dialog. cap.4.

b lib.7. de Regno Italiæ.

c lib.5. & 9. dec.1. hiſt. Eccleſ.

d tomo 2. Monarchia occident. lib. 12. cap.2. nu.226.

e tomo 4. Italiæ ſacræ col.32 allatum anguem ait ab Arnulpho I. anno 971. col. verò 137. ab Arnulph. II. anno 1002.

f in vitis Sanctorũ in Paſſione S. Pelagiæ nu. 334. mſſ. in membrana.

tera autem Buſſeri opera ciuibus vrbanæ calamitates eripuerũt; ea tamen legit [a] Galuaneus Flamma, ex cuius teſtimonio intelleximus ſtare à noſtrà cauſà Gothofredum.

a *in chrõ. mai. mſſ. cap. 99.*

Serpens, quem Moyſes exaltauit in deſerto, ob vitandum idolatriæ vitium confractus eſt, QVI NVNC HABETVR MEDIOLANI IN ECCLEXIA SANCTI AMBROXII, VT DICVNT GOTHOFREDVS ET DATIVS.

Hinc tranſuolare cogimur ad Chronica Benuenuti, quæ ſe mihi alia ſcrutanti in Bibliotheca Ambroſiana fortuitò obtulere, exciderant quippe tabulis indicibus librorum: licèt ante Benuenutum plura Chronica ſcripta fuiſſe haud falsò conijciam, quorum ſæpius meminerunt rei patriæ ſcriptores: hæc ſunt ferme, Chronica Leonis, Bonuicini, Archiepiſcoporum, Pagani, Philippi Comitis de Caſtro Seprio, Calendaria, & alia fortaſſe multa, quæ, aut propter crebras imperiorũ mutationes, aut vrbe direptà excisàque ſæpius, interciderunt. Benuenutus totius terrarum orbis tempora perſequitur, paucis patriam vrbem deſcribit: vità ille fruebatur anno decimo octauo ſupra milleſimum trecenteſimũ, vti teſtatur [b] Hieronymus Septalius eruditione, & genere nobilis. Itaque Benuenutus [c] libro ſecundo Chronicorum, qui inſcribitur: *de Moyſe primo Duce Hebræorum*, capite vigeſimo tertio, cui titulus eſt: *de ſerpente*

b *in libro, cui titulus: il Fonte di S. Barnaba.*

c *Mſſ. in Biblioth. Ambroſ. in membrana.*

Digitized by Google

pente æneo Moyſi, vtroque pollice noſtram ſententiam laudat.

In Chronicis autem, & maximè illa, quæ dicitur Datij, legitur, quòd Arnulphus Mediolani Archiepiſcopus de ſtirpe Capitaneorum de Arciaco Seprij, qui fundauit Monaſterium S. Victoris ad Corpus, vbi & quieſcit, miſſus ab Othone III. Romanorum Imperatore anno Chriſti milleſimo quarto (immo milleſimo primo, quemadmodum infra iterum monſtrabimus) *ad Imperatorem Conſtantinopolitanum pro coniuge ſibi copulanda, inter cætera dona SERPENTEM IPSVM AENEVM habere meruit ab Imperatore Conſtantinopolitano, & veniens Mediolanum, eum in Eccleſia Sancti Ambroſij exaltauit ſuper columpnam lapideam, ibique vſque in præſens ſeruatur. Qualiter autem inuentus fuerit, poſtquàm Ezechias illum confregit, & qualiter Conſtantinopolim relatus, non legi; quòd autem ſit ille idem, SIGNA CONTRITIONIS IN EO APPARENTIA FACIVNT ARGVMENTVM. Miror tamen, quòd Ioſephus in ſcribēdo fidelis nihil de illo meminerit*. Idem Benuenutus, cùm Templum Ambroſianum commendat affirmat ibidem *SERPENTEM ÆNEVM MOYSIS ASSERVARI*.

lib. 14. cap. 36.

Atqui ſententiam Benuenuti placet illuſtrare paucis; etenim initio auctor ſe ex Chronicis, & præcipuè Datij, didiciſſe profitetur, quæcunque de angue Ambroſiano ſcribit: ac proinde conij-

Digitized by Google

conijcimus præter Datium alios fuiſſe ſcriptores, quorum teſtimonio, dum viueret Benuenutus, certò liqueret ſerpentem hunc eſſe Moſaycum. Porrò Arnulphus ex ſtirpe Capitaneorum de Arciaco Seprij profectus dicitur, quòd illius maiores eſſent Capitanei Oppidi Arciaci in Metrocomia Caſtri Seprij; quod genus [a], honoris vnà cum Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Valuaſoribus, & Valuaſinis inſtituerat Otho Magnus auus Othonis III., à quo legationem Byzantinam acceperat Arnulphus. Ac quemadmodum in vrbe Capitanei præerant Tribubus, ſingulisque regionibus, vt [b] Arluni Vercellenſi, Nouæ Turriani [b], Carcani Nouocomenſi [b]: ita in agris alij Capitanei plebem regebant; ab hiſce verò muneribus procreatas familias nonnullas adhuc ſuperſtites in Inſubribus cenſeo, Ducas videlicet, Marcheſios, de Comitibus, Capitaneos ſiue Cataneos [c], Valuaſores item, ac Valuaſinos cognomento Valaſinas. Cæterùm quo pacto anguis Moſaycus delatus fuerit Conſtantinopolim, quod Benuenuti in ſcribendo ingenium torſit, planum faciam conijciendo ratiocinandoque. Tot ego lipſana Chriſtianæ religionis debere nos arbitror Heraclio Imperatori, qui, domito Coſdroa Perſarum Rege, pignora ſalutis humanæ Hieroſolymis reſtituit, indeque multa Byzantium exportauit. Eius ſententiæ eſt Bugatus [d], vir doctus, quod ipſius teſtimonio opportunè

confir-

a *Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ.*

b *Corius ibidem.*

b *Galuaneus in Chron. eiſdem cap. 842.*

c *Galuan. ibidem.*

d *lib. 2. hiſtor.*

confirmabimus, eique opinioni alia me cogit aſſentiri coniectura; nam poſtquàm Nicephorus anno ſexageſimo quarto ſupra nongenteſimum (quod docent Curopalates ac Baronius[a]) centum ampliùs vrbes ex Saracenorum tyrannide in libertatem vindicauit, ſacra apud eos inuenta Conſtantinopolim detulit: idcirco credere licet repertum, aut Hieroſolymis ab Heraclio, aut alibi à Nicephoro ſerpentem æneum, eàdemque operà Conſtantinopolim fuiſſe aduectum. Sanè, cùm Byzantium in poteſtatem Turcarum, imperante Conſtantino VIII., veniſſet, narrat Cuſpinianus[b] plures Reliquias ibidem fuiſſe inuentas, nempe dexteram Præcurſoris, ſpongiam, calamum, ac lanceam Domini Ieſu; quæ quidem lipſana exportata fuerant Hieroſolymis, vnde etiam Arcadius Auguſtus oſſa Prophetæ Samuelis[c] deuexerat Byzantium. Igitur vt reſpondeam Benuenuto, immo pleriſque, qui ſcire volunt omnia, illud quoque, quomodo

Iuppiter vxorem Iunonem duxerit olim:

rogo te, quis tot Chriſti Seruatoris, Deiparæ Virginis, atque Apoſtolorum Reliquias in Romanam vrbem, atque in Occidentem totum inuexit? Earum quidem mentionem facit Cardinalis Baronius, cùm res geſtas anno Chriſtianæ ſalutis DC.XXXVIII. deſcribit. Quis ex vltimis Europæ finibus, atque ex Aſia tot præſidia ſalutis humanæ Mediolanum exportauit?

a *ad eũdem annum Chriſti in annalibus.*

b *in vita Conſtantini Octaui.*

c *ex Martyrol. Rom. ad diem 20. Auguſti.*

tauit? Hìc olim Regum Magorum corpora condita, quæ a Dux Ludouicus Sfortia, Alexandro VI. Summo Pontifice annuente, repetere à Colonienſibus inſtiterat; hìc Salomonis Candelabrum, ſi fides Picoloinineo b, conditum deinde in Templo Sancti Viti Pragæ; hìc aſſeruatur Clauus, quo Chriſtus in Cruce eſt fixus, fræno ab Helena incluſus; hìc Mamantis Martyris & Pelagiæ Virginis humati cineres, quos magnis laudibus extollunt Baſilius, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus; vt reliqua Sanctorum nomina prætercam, quorum nomenclaturam ſexequetur Ioannes Baptiſta Cariſius in Faſtis Mediolanẽſis Eccleſiæ, quos propediem euulgabit, animaduerſionibus quoque ad eruditionem adiectis; quæ ſanè lipſana, vel à Maximis Pontificibus, vel ab Imperatoribus dono ſunt data. Adhæc Antiſtites Mediolanenſium ſæpius in Græciam ſunt profecti; Euſtorgius I. Byzantio adempta Regum Magorum corpora Mediolanum tulit: Manſuetus Byzantinæ Synodo, quæ ſextò habita eſt, interfuit: Senator c ex ampliſſima Septaliorum Familia miſſus eſt à Sancto Leone Papa Conſtantinopolim ad Theodoſium iuniorem: Datius exul Corinthi & Cõſtantinopoli eſt moratus: præterquàm quòd plures nobis Antiſtites, aut Græcia donauit, aut cum Græcis ob morum ſimilitudinem coniunxit, nempe cum Baſilio Ambro-

ſium,

a *Ex breuibus literis Alexandri VI. ad Archiep. Colon. die vlt. Ianuar. anno 1495. in tabulario Archiepiſcop. Mediol.*

b *in hiſt. Bohemica cap. 24.*

c *Ex I. tomo Cõcilior. & Tatius in Annalibus Comi ad annum 450.*

mà per palatia Regis incunctanter volante, rem milites Palatini inauditam audientes, vniuerſi coram Imperatore, more ſolito, adſtantes vehementer admirati ſunt; etenim hoc Arnulphus ad honorem Romani Imperij excellentiæ, atque magnificentiæ Regis Othonis, totiuſque Italiæ fecerat. Tandem cùm Arnulphus magno ducatu militum ſtipatus, quos pellibus martulinis aut cibelinis, ac renonibus varijs & hermellinis ornauerat, quibus Imperator mirificè eum imbuerat, ab Imperatore de filia eius eſſet ſecurus, & ipſe ante faciem eius ſolus, adſtantibus multis Epiſcopis, ſummæ magnaq; dignitatis, quibus ante præſentiam Imperatoris ſedere non licet, ſuper cicontgitronum (fortè in puluillis poſitis circa thronum more Græcanico) *ſederet, multis per interpretem rebus ſermocinatis, quod intus Arnulphus erat, foris apparuit. Interea Imperator Arnulphum, vt ſecum venatu, quaſi ad depellendas corporum grauitudines iret, precatus eſt. Arnulphus autem voce benigna, primò paululum tacitus, inter ſe cogitans Ordinē Epiſcopalem, in quibus exercere ſe debet, tandem dixit: ego enim, vobis ſi placet, qua hora meas venationes inſequi ſolitus ſum, meis armis, meiſque militibus, die craſtino mediante, ad vos veniens præparatus ero. At Imperator de quibus armis, quibuſque militibus Arnulphus dixiſſet, minimè per interpretem, ipſo balbutiente, intellexit. Veniens autem Arnul-*

phus

phus die ſtatutà, Epiſcopalibus indumentis ornatus cum ſtolà, ſine quà nunquam foris, aut in ciuitate vllis negotijs interuenientibus aut perturbationibus eſſe ſolitus fuit, & chriſma (fortaſſe vt ſignificaret, ſe initiandis liturgis, non feris inſectandis addictum) *honorabiliſſimiſque Clericorum ordinibus vallatus, quos ſecum tulerat, & tribus cum Ducibus honorandus peruenit ad Imperatorem. Quo viſo Imperator permultùm inter ſe admirans, videns tantum virum in Dei opere religioſum, ſapientem, diſcretum, atque benignum, aliquantulum, quod de venatione dixerat, verecundatus, per omnia laudans atque magnificans, & gracè ſermocinando ipſum extollēs ſubſiſtit. Quod factum Graci Epiſcopi, Archiepiſcopi, Sacerdotes perplurimùm, quòd eo in tempore Curia inſiſtebant, mirantes, erga Latinos tantam religionem minimè fore credentes, permultùm Beatum Ambroſium benedicentes, dicebant: decens & competens ratio fuit, vt ſicut nos Beatus Ambroſius vſque hodie diuinis alit alimentis, ſacratiſſimiſque admonitionibus, vel ſuos filios lacte & melle verbi diuini informat: ſic Dominus Arnulphus tanti viri, tantique Patroni ſucceſſor ſuis nos exemplis modò zoliſizando informaret. Intereà Imperator & Arnulphus cum paucis Epiſcopis in vnum conuenientes ex ſecretis tractauerunt conſilijs. Moratus autem Arnulphus per tres fere menſes apud Imperatorem, gratià Regis adeptà, SER-*

PENTEM AENEVM, QVEM MOYSES IN DESERTO, DIVINO IMPERIO ADMONITVS CORAM FILIIS ISRAEL EXALTAVERAT, IMPERATORI QVAESIVIT ET HABERE MERVIT: ET VENIENS IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII IPSVM EXALTAVIT. De quo S. Ambroſius in Hexameron: & ipſe ſicut ſerpens exaltatus deuorat colubros Ægyptiorum. Demum multis & magnis donis ex auro, & gemmis dotatus cum filia eiuſdem, quæ Romano Imperatori traderet in coniugio, lætus & hilaris ferè vſque ad Portum Barianũ peruenerat. Ecce enim ex improuiſo vox humana Regià, quam Imperator cum ineffabili pondere auri & argenti Arnulpho & ſua filiæ donauerat, dicens Othonem Imperatorem Romanum mortuum eſſe, inſonuit. At Arnulphus vocem huiuſmodi audiens, aliquantulum expaueſcens, viriliter vniuerſos exhortans, voce Epiſcopali, omnes intuens, dixit: O Fratres, vox enim hæc phantaſtica, vt nos terrefaceret, venit. Vox eſt illius, qui protoplaſtos decepit, qui Redemptorem noſtrum olim bis terque temptauit: de quo ipſa veritas dixit, mendax eſt ab initio & pater eius, cui aliquis Fide Catholica imbutus fidem exhibere non debet. Itaque omnibus ambagibus obmiſſis ad portum ſalutis, velis dimiſſis, accelerare feſtinemus. Tandem, cùm in portu per tres dies ſederet, vt res erat, in veritate compertum eſt. Propterea cunctis

grauі-

grauiter congemiſcentibus, magnis lamẽtis, magniſque ſuſpirijs Arnulphus & Regis filia cũ omnibus ſuis ad patriã domũ remeans ſeparati sũt.

Hic fuit geſtæ legationis exitus, à quo leuiſſimè diſcrepant Chronica reliqua, nuſquam tamen vitiatis de ſerpente æneo monimentis. Cæterùm Stola, quæ geſtabatur ab Arnulpho Byzantij, fortaſſe inſigne erat Legationis aut imperij Metropolitici; Pallium autem Pontificale appellatum fuiſſe Stolã auctor eſt [a] Ioſeph Vicecomes ex Doctoribus Bibliothecæ Collegijque Ambroſiani, qui iudicio Ioannis Bonæ Cardinalis eruditiſſimi [b] *de antiquis Eccleſiæ ritibus plures libros doctè & luculenter conſcripſit*; verùm Stolam delatam fuiſſe ab Arnulpho extra fines Metropoliticæ Prouinciæ miror maximè; niſi duo genera Pallij eſſe affirmemus Romano, & Gallicano ſimillima, quorum altero in ſua Metropoli, altero vbique Antiſtites vterentur; quamquam Cardinalis Bona [c] huic ſententiæ nequaquam ſuffragetur. Porrò cùm legationem Mediolanenſis Archiepiſcopus obiret, à Baſilio & Conſtantino Orientis, ab Othone III. Occidentis gerebatur Imperium; ſiquidem reuerſus in Italiam Arnulphus, vbi accepit, Othone mortuo, Ardoinum Demarchum Eporediæ Regem Italiæ fuiſſe deſignatum, atque à Vidone Ticinenſium Antiſtite ferreà coronà redimitum, enim verò vt erat Arnulphus mente ſolidà, ac iuris

[a] *in lib. de Miſſa apparatu lib. 4. cap. 3.*

[b] *in notitia Auctorum in libro cui titulus* Pſallentis Eccleſiæ harmonia.

[c] *lib. 1. de rebus liturgicis cap. 16.*

Pontificij tenax, vitio creatum eſſe Ardoinum pronuntiauit, ac ſubinde in locum Othonis ſubrogauit Henricum Ducem Bauariæ, cognomento Claudum, virum Sanctiſſimum, cui antea regnum [a] Diuus Vuolphangus Epiſcopus Ratiſponæ portenderat: eumque poſtmodùm Arnulphus [b] Regno Italiæ ferreoque diademate in Ambroſianà Baſilicà inſigniuit; licèt etiam Ardoinus [c] in cœnobio Fructeriæ abditus, redactum ſe in ordinem ſummà animi conſtantià ferens, reliquam vitam purè integrèque traduxerit. Hæc omnia congruunt & cohærent cum ratione temporum; quippe anno milleſimo ſecundo coronatum fuiſſe Ardoinum teſtantur ſcriptores [d], ac tabulæ [e]: Arnulphus, Pontifice Gregorio V., Mediolanenſis Eccleſiæ infulà auctus fuerat; quod arguit mēdacij ſcriptores, qui Arnulphum legationis cauſà profectum ad Nicephorum Phocam tradiderunt, cùm [f] is anno nongenteſimo ſexageſimo nono fatis conceſſiſſet: neque eà legatione Arnulphus antea fungi potuit, quando fere omnes memorant ipſum cum Stola Byzantij moratum, quæ Pontificalem honorem indicabat; neque Theophania Othoni III. nupſit, ſed Othoni II., ſic annorum ordine poſcente alioqui hiſtoria temporum teſtis vitium patietur. Certè capeſſiuit Pontificatum ſuum Arnulphus anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo: quam initi Pontificatus fidem faciunt

tabulæ

a *Baronius ad annum Christi* 1002.

b *Bucelinus in nucleo ad annum* 1005. *Pingonius in Augusta Taurinor. Puric. in monum. nu.* 208.

c *Arnulphus lib.* 1. *hiſt. mſſ. & Caſtillion. in notis ad Regnum Italiæ*

d *Campus vol.* 1. *hiſt. Eccl. Placent.*

e *Ex priuilegio Ardoini ſignato anno* 1002. *vt in tabulario Inſigni; Cœnobij Ambroſ.*

f *Baron. to.* 9. *pag.* 811.

tabulæ anno decimoquarto ſeculi vndecimi ſignatæ, quæ tum Pontificatus Arnulphi annũ decimum ſeptimum numerant; Eas autem tabulas inuenimus in tabulario Veſtalium Sanctæ Mariæ in Valle, ſeu in Vallo, Mediolani. Cùm verò hiſtoriographus Landulphus ſcribit Othonem fuiſſe alienum à filio, coniugij ſterilitatem exponit: etenim ex Maria coniuge nullam prolem maſculam ſuſceperat; quam obſcuram rationem explicandi, & barbaris vocibus abſonam, ſecula illa intulerant, quæ ob frequentes regnorum motus, atque Trãſalpinorum irruptiones habuit quidem ſcriptores candidos, verùm latinæ linguæ rudes; quo vitio laborant reliqua Chronica: donec ad hæc tempora ventum eſt, quæ iratis lĩteris mortalium ingenia conciliauere. Quamobrem Datius, & Landulphus æquales fere Arnulphi (nam de Arnulpho alio ſcriptore opportunè meminero) quorum propemodum oculis legatio tota eſt obuerſata, clarè ſerpentem hunc eſſe Moſaycum affirmant, queis veritas abrogari non niſi temere poteſt. Neque verò incredibilia narrari à Landulpho cenſeas, cùm Arnulphi legationem obeuntis comitatum & pompam ad miraculum Aulæ Byzantinæ deſcribit; nam innata fuit Mediolanenſium Præſulibus magnificentia adeò vt vel in ſummâ calamitate, quanta eſt bonorum & Patriæ iactura, animum ſuum & dignitatem longiùs à

ſe

ſe abeſſe atque exulare minimè paterentur. Teſtis eſt Datius vir Sanctiſſimus, qui Fidei tuendę causà ex Prouincia Inſubrum exactus, cùm Corinthi, in magna videlicet vrbe & totius Achaiæ principe, ædes amplas totiuſque comitatus hoſpitas perquirens, vix inueniſſet, adire inhoſpitalem domum lemurumque tantùm ac laruarum, non hominum ſedem, coactus eſt: quæ vna in frequentiſſima vrbe (vti memoriæ prodidit [a] Diuus Gregorius) excepit Datium eiuſque famulitium; licèt nocte intempeſtà Dæmon incola domicilij ferre hoſpitem Datiũ minimè poſſet, ædium poſteà poſſeſſione depulſus. Quamquam autem Sigonius [b], Ripamontius [c], Palatius [d] & Vghellus [e], Arnulphum I. legatione Byzantina defunctum aſſeuerent, eidemque munus ſerpentis ænei adiudicẽt: nihilominùs non modò ſcriptores omnes & monumenta patria, verùm acta Ardoini & Henrici præter chronologiæ errorem non dubium apertè refragantur; ad hæc Vghellum [e] video inconſtantem, qui modò ſeniori Arnulpho, modò iuniori eundem anguem refert acceptum.

Comes it Landulpho Gothofredus Buſſerus Curio Rodelli, quem rebus humanis interfuiſſe anno MCCXX. teſtantur eiuſdem lucubrationes [f] ſuperſtites adhuc in Bibliotheca Diui Caroli, quam ille abiturus ad Superos nobiliſſimo Ædis Metropolitanæ Collegio legauit: cætera

a lib.3.dial. cap.4.
b lib.7. de Regno Italiæ.
c lib.5.& 9. dec.1. hiſt. Eccleſ.
d tomo 2. Monarchia occident. lib. 12.cap.2. nu.226.
e tomo 4. Italia ſacra col.32 allatum anguem ait ab Arnulpho I. anno 971. col.verò 137. ab Arnulph. II. anno 1002.
f in vitis Sanctorũ in Paſſione S. Pelagiæ nu. 334. mſſ. in membrana.

tera autem Buſſeri opera ciuibus vrbanæ calamitates eripuerũt; ea tamen legit[a] Galuaneus Flamma, ex cuius teſtimonio intelleximus ſtare à noſtrà causà Gothofredum.

[a] *in chrõ. mai. mſſ. cap. 99.*

Serpens, quem Moyſes exaltauit in deſerto, ob vitandum idolatriæ vitium confractus eſt, QVI NVNC HABETVR MEDIOLANI IN ECCLEXIA SANCTI AMBROXII, VT DICVNT GOTHOFREDVS ET DATIVS.

Hinc tranſuolare cogimur ad Chronica Benuenuti, quæ ſe mihi alia ſcrutanti in Bibliotheca Ambroſiana fortuitò obtulere, exciderant quippe tabulis indicibus librorum: licèt ante Benuenutum plura Chronica ſcripta fuiſſe haud falsò conijciam, quorum ſæpius meminerunt rei patriæ ſcriptores: hæc ſunt ferme, Chronica Leonis, Bonuicini, Archiepiſcoporum, Pagani, Philippi Comitis de Caſtro Seprio, Calendaria, & alia fortaſſe multa, quæ, aut propter crebras imperiorũ mutationes, aut vrbe direptà excisàque ſæpius, interciderunt. Benuenutus totius terrarum orbis tempora perſequitur, paucis patriam vrbem deſcribit: vità ille fruebatur anno decimo octauo ſupra milleſimum trecenteſimũ, vti teſtatur[b] Hieronymus Septalius eruditione, & genere nobilis. Itaque Benuenutus[c] libro ſecundo Chronicorum, qui inſcribitur: *de Moyſe primo Duce Hebræorum*, capite vigeſimo tertio, cui titulus eſt: *de ſerpente*

[b] *in libro, cui titulus: il Fonte di S. Barnaba.*

[c] *Mſſ. in Biblioth. Ambroſ. in membrana,*

pente aneo Moyſi, vtroque pollice noſtram ſententiam laudat.

In Chronicis autem, & maximè illa, quæ dicitur Datij, legitur, quòd Arnulphus Mediolani Archiepiſcopus de ſtirpe Capitaneorum de Arciaco Seprij, qui fundauit Monaſterium S. Victoris ad Corpus, vbi & quieſcit, miſſus ab Othone III. Romanorum Imperatore anno Chriſti milleſimo quarto (immo milleſimo primo, quemadmodum infra iterum monſtrabimus) *ad Imperatorem Conſtantinopolitanum pro coniuge ſibi copulanda, inter cætera dona SERPENTEM IPSVM AENEVM habere meruit ab Imperatore Conſtantinopolitano, & veniens Mediolanum, eum in Eccleſia Sancti Ambroſij exaltauit ſuper columpnam lapideam, ibique vſque in præſens ſeruatur. Qualiter autem inuentus fuerit, poſtquàm Ezechias illum confregit, & qualiter Conſtantinopolim relatus, non legi; quòd autem ſit ille idem, SIGNA CONTRITIONIS IN EO APPARENTIA FACIVNT ARGVMENTVM. Miror tamen, quòd Ioſephus in ſcribēdo fidelis nihil de illo meminerit*. Idem Benuenutus, cùm Templum Ambroſianum commendat affirmat ibidem *SERPENTEM ÆNEVM MOYSIS ASSERVARI*.

lib. 14. cap. 36.

Atqui ſententiam Benuenuti placet illuſtrare paucis; etenim initio auctor ſe ex Chronicis, & præcipuè Datij, didiciſſe profitetur, quæcunque de angue Ambroſiano ſcribit: ac proinde conij-

conijcimus præter Datium alios fuiſſe ſcriptores, quorum teſtimonio, dum viueret Benuenutus, certò liqueret ſerpentem hunc eſſe Moſaycum. Porrò Arnulphus ex ſtirpe Capitaneorum de Arciaco Seprij profectus dicitur, quòd illius maiores eſſent Capitanei Oppidi Arciaci in Metrocomia Caſtri Seprij; quod genus [a], honoris vnà cum Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Valuaſoribus, & Valuaſinis inſtituerat Otho Magnus auus Othonis III., à quo legationem Byzantinam acceperat Arnulphus. Ac quemadmodum in vrbe Capitanei præerant Tribubus, ſingulisque regionibus, vt [b] Arluni Vercellenſi, Nouæ Turriani [b], Carcani Nouocomenſi [b]: ita in agris alij Capitanei plebem regebant; ab hiſce verò muneribus procreatas familias nonnullas adhuc ſuperſtites in Inſubribus cenſeo, Ducas videlicet, Marcheſios, de Comitibus, Capitaneos ſiue Cataneos [c], Valuaſores item, ac Valuaſinos cognomento Valaſinas. Cæterùm quo pacto anguis Moſaycus delatus fuerit Conſtantinopolim, quod Benuenuti in ſcribendo ingenium torſit, planum faciam conijciendo ratiocinandoque. Tot ego lipſana Chriſtianæ religionis debere nos arbitror Heraclio Imperatori, qui, domito Coſdroa Perſarum Rege, pignora ſalutis humanæ Hieroſolymis reſtituit, indeque multa Byzantium exportauit. Eius ſententiæ eſt Bugatus [d], vir doctus, quod ipſius teſtimonio opportunè confir-

a *Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ.*

b *Corius ibidem.*

b *Galuaneus in Chron. eiſdem cap. 842.*

c *Galuan. ibidem.*

d *lib. 3. hiſtor.*

confirmabimus, eique opinioni alia me cogit aſſentiri coniectura; nam poſtquàm Nicephorus anno ſexageſimo quarto ſupra nongenteſimum (quod docent Curopalates ac Baronius[a]) centum ampliùs vrbes ex Saracenorum tyrannide in libertatem vindicauit, ſacra apud eos inuenta Conſtantinopolim detulit: idcirco credere licet repertum, aut Hieroſolymis ab Heraclio, aut alibi à Nicephoro ſerpentem æneum, eàdemque operà Conſtantinopolim fuiſſe aduectum. Sanè cùm Byzantium in poteſtatem Turcarum, imperante Conſtantino VIII., veniſſet, narrat Cuſpinianus[b] plures Reliquias ibidem fuiſſe inuentas, nempe dexteram Præcurſoris, ſpongiam, calamum, ac lanceam Domini Ieſu; quæ quidem lipſana exportata fuerant Hieroſolymis, vnde etiam Arcadius Auguſtus oſſa Prophetæ Samuelis[c] deuexerat Byzantium. Igitur vt reſpondeam Benuenuto, immo pleriſque, qui ſcire volunt omnia, illud quoque, quomodo

Iuppiter vxorem Iunonem duxerit olim:

rogo te, quis tot Chriſti Seruatoris, Deiparæ Virginis, atque Apoſtolorum Reliquias in Romanam vrbem, atque in Occidentem totum inuexit? Earum quidem mentionem facit Cardinalis Baronius, cùm res geſtas anno Chriſtianæ ſalutis DC.XXXVIII. deſcribit. Quis ex vltimis Europæ finibus, atque ex Aſia tot præſidia ſalutis humanæ Mediolanum exportauit?

[a] *ad eundem annum Chriſti in annalibus.*

[b] *in vita Conſtantini Octaui.*

[c] *ex Martyrol. Rom. ad diem 20. Auguſti.*

tauit? Hìc olim Regum Magorum corpora condita, quæ a Dux Ludouicus Sfortia, Alexandro VI. Summo Pontifice annuente, repetere à Colonienſibus inſtiterat; hic Salomonis Candelabrum, ſi fides Picoloinineo b, conditum deinde in Templo Sancti Viti Pragæ; hic aſſeruatur Clauus, quo Chriſtus in Cruce eſt fixus, fræno ab Helena incluſus; hic Mamantis Martyris & Pelagiæ Virginis humati cineres, quos magnis laudibus extollunt Baſilius, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus; vt reliqua Sanctorum nomina præteream, quorum nomenclaturam ſexequetur Ioannes Baptiſta Cariſius in Faſtis Mediolanenſis Eccleſiæ, quos propediem euulgabit, animaduerſionibus quoque ad eruditionem adiectis; quæ ſanè lipſana, vel à Maximis Pontificibus, vel ab Imperatoribus dono ſunt data. Adhæc Antiſtites Mediolanenſium ſæpius in Græciam ſunt profecti; Euſtorgius I. Byzantio, adempta Regum Magorum corpora Mediolanum tulit; Manſuetus Byzantinæ Synodo, quæ ſexto habita eſt, interfuit; Senator c ex ampliſſima Septaliorum Familia miſſus eſt à Sancto Leone Papa Conſtantinopolim ad Theodoſium iuniorem; Datius exul Corinthi & Cōſtantinopoli eſt moratus; præterquàm quòd plures nobis Antiſtites, aut Græcia donauit, aut cum Græcis ob morum ſimilitudinem coniunxit, nempe cum Baſilio Ambroſium,

a *Ex breuibus literis Alexandri VI. ad Archiep. Colon. die vlt. Ianuar. anno 1495. in tabulario Archiepiſcop. Mediol.*

b *in hiſt. Bohemica cap. 24.*

c *Ex I. tomo Cōciliorum & Tatius in Annalibus Comi ad annum 450.*

ſium, Venerium[a] cum Chryſoſtomo: vt eo-ram propter eximiam vitæ ſanctitatem, & longè propter neceſſitudinem plurima Sanctorum lipſana potuerint impetrare. Quid, quòd Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtites tranſmarinæ quoque peregrinationis cauſa in Orientem ſe contulere? Sanctus Sabinus cum Diuo Theodoro Abbate Caſſinenſi (niſi me fallunt[b] Petrus de Natalibus, Zacconus, & Iacobus Ianuenſis) poſtquam Seruatoris Ieſu tumulum venerabundus adiuit, ad Montem Sinai perrexit, vt Martyris Catharinæ coleret corpus, vbi iniurioſiùs tractatus à Barbaris, reſectis naribus, auribuſque, erutis oculis, exciſàque linguà, minimè tamen elinguis, eiuſdem Martyris ope incolumis cùm Mediolanum rediſſet, annulum ſibi à Catharina cum membrana aureis literis inſcripta donatum attulit. Quamquàm verò nomen Sabini, neq; in Necrologiis, neque vllis in tabulis Mediolanenſis Eccleſiæ (quemadmodum etiam Marini[c] Archiepiſcopi Martyris, de quo tradam in tempore) inueniatur; tamen cùm lacuna temporum in ſtatuendis ſingulorum Præſulum annis occurrat, nempe in Pontificatu Diui Honorati[d], itemque ex anno[e] quingenteſimo ſeptuageſimo, quo Theodorus comes itineris tranſmarini Lateranenſi Cœnobio præſedit, conijciam Sabini Pontificatum, cõmodùm eandẽ implebimus, ſi inter Honoratum, & Frontonem, aut (ſi mauis) inter

Fron-

a Venerij meminit Martyrol. Rom. ad diem 4. May.

b in vita S. Catharinæ Virg. & Mart.

b in compendio vitæ SS. in vita eiuſdem S. Catharinæ.

b in hiſt. Lombar. in vita S. Cath.

c de S. Marino agit. Hermanus Crombach. in hiſt. Vrſulanà.

d Martyrol. Rom. ad diẽ 8. Feb.

e Trithemius de viris illuſtribus Ord. S. Benedict.

Frontonẽ & Laurentium II. Sabinus collocetur; tametſi adhuc pugnare ſecum annos intelligo, ancipiti non minùs famà, quàm tempore Pontificatus. Quid ergo miramur tot lipſanis, quæ iam Mediolani domicilium habuerant, acceſſiſſe etiam ſerpentem æneum Moyſis, quem in Patriam reuerſus Arnulphus tanquam benè geſtæ legationis teſtimonium Conſtantinopoli extulerit, eumque rurſus coire in ſuum volumen cogens, in Martyrum Templo, ad Baſilicæ illius ornamentum, quæ Cæſarum caput ferro vinciret, ſublimem ſtatueret in columna? Cæterùm Beuenutus SIGNA CONTRITIONIS FACERE ARGVMENTVM docet: quæ certè adhuc eminent, ſi iconem ſerpentis conſules. Quòd autem nihil de illo meminerit Ioſephus, non magnopere laboro: nam id quoque excidit Arnulpho æquali Arnulphi II. Archiepiſcopi, cùm tamen veritas facti etiam ſine Arnulphi teſtimonio teneatur. Quamquam enim Chalcus ſerpentem hunc perneget eſſe Moyſis, quòd Arnulphus cætera perſecutus nullam eiuſdem fecerit mentionem, nihilominùs eiuſmodi argumentum facillimè refellitur; namque oblitus eſt quoque Arnulphus (vt rectè animaduertit Puricellus) Ordinis Humiliatorũ, quem tamen, ſcribente Arnulpho, à Mediolanenſibus captiuis inſtitutum nemo ignorat. Reſponſum item aliud ad infirmandam Chalci coniecturam mutuabimur à Cardinali Bona; ſi quidem

lib. 6. hiſt. pat.

in monumen. Baſil. Ambroſ. nu. 202.

quidem negantibus nonnullis Pontificalis annuli vetuſtatē, quòd eius haud meminerint Alcuinus, Amalarius,& Rabanus, illis tacentibus alios fuiſſe de Pontificali annulo locutos oſtēdit: ita ſilentibus Ioſepho, & Arnulpho, alij ſcriptores ferè coæui de legatione Antiſtitis Arciaci, atque de ſerpente æneo tradiderunt. Obliuionis huiuſce fontē illinc manare puto, quòd ſcriptor Arnulphus hiſtoriam repetit ab anno nongēteſimo vigeſimo tertio, illamque deducit vſque ad annum MLXXVII. eo tamen diſcrimine, vt, quæ de Arnulpho & cæteris Præſulibus Mediolanenſium prodidit, ab alijs acceperit: quæ de Heriberto Archiepiſcopo, illa teſtis memorauerit oculatus. Totidem verbis librum ſecundū hiſtoriæ exorditur Arnulphus: *ſuperiori volumine audita tantùm exſufflare tentauimus: nunc autem ea, quæ ipſi videndo cognouimus, ex abundanti eructare ſtudeamus.* Quare cùm

Idem Arnulphus affirmat in præfat. ſua hiſtoria.

Horat.

Segniùs irritent animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus,

quid ſcriptoris taciturnitatem vel incuriam ſugillamus minimè interrogantis Maiores ſuos de ſingulis geſtæ legationis momentis, & octauo capite prioris libri rem totam ieiunè tractantis, quòd in ijs immorari libentiùs vellet, quæ oculis vſurpauerat, quàm quæ audiuerat. En paucis concluſum auſpicium atque exitum legationis. *Tempore præterito decreuerat Imperator* (ſcilicet Otho III.) *maternæ gentis ſociari coniugio; nam Theophania filia Nicephori nupſerat*

Arnulphus mſſ. in Bibl. Ambroſ.

ſerat

ſerat Othoni II. parenti. Huius causâ conſilij præfatus Arnulphus, venerabilis Archiepiſcopus, regiâ iuſſione præmonitus, mare tranſiens, Conſtantinopolim proficiſcitur: qui ab ipſo admirabili Monarca magnâ ſuſceptus honorificentiâ ſatis Epiſcopaliter conuerſatus eſt in vrbe regiâ, ità charus, vt quidquid poſceret, facilè impetraret. Compoſito tandem, propter quod venerat, negotio, ab eodem Baſileo decenter abſolutus reuerſionem accelerat. Hoc teſtimonio Arnulphus legationem perſecutus eſt Arnulphi II. Archiepiſcopi: qui cùm omnia ab Imperatore exoraret, & impetraret, facilè etiam potuit ſerpentem æneum eblandiri. De cætero vereor, ne Valerianus Caſtillionæus vehementer errauerit temporibus,[a] cùm ſcriptorem Arnulphum conſanguinitate Arnulpho II. coniunctum fuiſſe aſſeuerauit; etenim propinquum ſe Arnulphi Primi, qui Valperto Archiepiſcopo ſucceſſit, non alterius Arnulphi, qui in locum Landulphi fuit ſuffectus, Arnulphus hiſtoricus profitetur. Cedo mihi teſtimoniũ ſcribentis Arnulphi [b]: *eodem tempore, obeunte Valperto, Cathedram ſuſcepit Arnulphus, verè declinans à malo & faciens bonum, cuius æquiuocus exiſto geſtorum ſcriptor ego præſentium, fratris verò illius pronepos verus*: poſterioris autem Arnulphi facta octauo capite aggreditur memorare (licèt Typographus [c] peccauerit, primum caput, non autem nonum,

a *Not. 538. ad 3. Italiæ Regnum Equitis Theſauri.*

b *lib. 1. hiſt. Mſſ. de geſtis Vrbis Mediol. cap. 4.*

c *in nota 538. paulò antè memorata editionis Taurinenſis.*

ad ſententiæ fidem proponens) vbi cùm re-gnantis Ardoini vices deſcribuntur, profectò de iuniori Arnulpho, non de ſeniore mentio incidit, qui Othone I. Imperatore Ambroſianam Metropolim moderabatur.

Benuenutum ſequitur Galuaneus Flamma ex Ordine Dominicanorum, vir apprimè doctus. Et quoniam Cardinalis Bona[a], dum de Ambroſiana liturgia diſputat, Beroldi, & Galuanei meminit (quorum teſtimonio Ioſeph Vicecomes[b] Ritùs Mediolanenſis Eccleſiæ nu-minis ipſius indicio ratos conſtitutoſque affirmauit) eoſdemque ignotos ſcriptores eſſe ait: *quorum auctoritas quanti ponderis ſit, alijs diſcutiendum relinquit*: idcirco de Beroldi[c] auctoritate ſcribam in diſputatione de Ritibus Mediolanenſis Eccleſiæ, in præſentia de Galuaneo dicam, non quidem noſtratium fide, ne (quod eſt in Phormione Terentij) nos mutuas operas tradere videamur, verùm exterorum teſtimonijs. Nouit Galuaneum Baptiſta Fulgoſius, atque Conradus Geſnerus; eius elogium legimus in *Bibliotheca Vniuerſali*: *Galuaneus Flamma ſcripſit aliquid hiſtoricum opinor; nominatur enim inter illos, ex quibus exempla memorabilia Baptiſta Fulgoſius collegit*. Antonius Senenſis Luſitanus in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum edita Pariſijs anno MDLXXXV. totidem verbis laudat Galuaneum: *Frater Galuaneus Flamma Mediolanen-*

a lib. 1. de rebus liturgicis cap. decimo.

b lib. 2. de Ritibus Miſſæ cap. 18.

c Beroldi meminit Puric. in diſſertatione Nazariana cap. 97.

ſis, vir in ſecularibus literis & in Philoſophicis nobiliter doctus, in ſacris autem & in ſcholaſticorum quaſtionibus non vulgariter verſatus, multiſque alijs animi dotibus adornatus ſcripſit Chronicam Ordinis, à Beato Patre noſtro Dominico incipiendo, & habetur illa in Conuentu noſtro Gratiarum Mediolani. Scripſit etiam Chronicam Imperatorum, item aliam Chronicam Ciuitatis Mediolanenſis ab illa condita vſque ad ſua tempora, & Summam de Caſibus Conſcientiæ. Claruit anno MCCCXL. Eundem Galuaneum pariter commendat Ambroſius Gozzeus Raguſinus ex eadem Familia Dominicanorum in Catalogo virorum illuſtrium ſui Ordinis impreſſo Venetijs anno MDCV. *Frater Galuaneus Flamma de Mediolano, Pater, qui in hiſtorijs habebat vſum, in reuoluendis antiquis Annalibus aſſiduus, in contemplatione geſtorum veterum mirabilis, ſcripſit Chronicam Imperatorum, Chronicam Ordinis Prædicatorum, Chronicam Ciuitatis Mediolanenſis, Summam de Caſibus Conſcientiæ. Claruit iuxta primam partem monumentorum Ordinis MCCCXL.* Quid? quòd Sigonius ſæpenumerò in illius ſententiam diſcedit? Ex quo enim ille didicit creatos fuiſſe Capitaneos, ſerpentem ſtatutum in arbore, antequàm caſtra Mediolanenſium ponerentur, niſi ex Galuaneo a? Adde Seraphinum Razzium b, qui in Dominicanos doctrinà illuſtres hominẽ refert;

a in Chron. maiori cap. 798. & 842.

b nell' iſtoria degli vomini illuſtri della Religione Domenicana.

refert; quæ à me expoſita ſunt eo animo, vt minimè obſcurus in poſterum videatur Flamma, cui plurimam in rebus vrbanis lucem debemus; ſi cui autem ignotus adhuc videtur, tribuendum operi eſt, quod nondum typorum beneficio lucem vidit, atque in nidis Ambroſianæ Bibliothecæ deliteſcit. Igitur ille Arnulphi legationem hac ratione deſcripſit. *Otho Imperator conſiderans, quòd eſſet ſine vxore & abſque liberis, Arnulphum Archiepiſcopum Mediolanenſem cum tribus Ducibus & Epiſcopis, & Cleri multitudine miſit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, vt eius filia ſibi daretur in matrimonium. Archiepiſcopus, vt peruenit Conſtantinopolim, in Curia Imperatoris pannum aureum ſtrauit, & equum ſuum mirabilis ſtatura argenteis calceis ferratum panno ſuperpoſuit. Ipſe cum Stola ad collum, quam ſemper portare conſueuerat, aſſociatus Principibus & Epiſcopis Imperatorem adijt, cauſam ſui aduentus aperuit. Imperator gaudens filiã ſuam ei tradidit: & apertis theſauris ſuis omnia Archiepiſcopo expoſuit. Ille, prout erat vir ſanctiſſimus & magnificus nimis, nihil recepit: immo annulum pretioſum, quem digito geſtabat, theſauro Imperatoris addidit. Ex hoc Imperator admiratus obſtupuit: attamen MAGNAM PARTEM LIGNI CRVCIS, ET SERPENTEM ÆNEVM, QVEM MOYSES EXALTAVERAT IN DESERTO, RECEPIT.*

in Chrõ. maiori cap. 822. Mſſ. in membrana.

Et

Et paulò infra perſequitur hiſtoriam Galuaneus. *Adueniente opportuno tempore Archiepiſcopus cum Filia Imperatoris receſſit. Et cùm perueniſſet ad portum Barianum, audiuit quòd Stephania vxor Creſcentij, quam Imperator viduam fecerat, ipſum veneno extinxerat. Quo audito puellam ad Imperatorem remiſit, & Mediolanum ad ſuam ſedem rediјt.*[a] *Arnulphus Archiepiſcopus Crucem magnam ex ligno fieri iuſſit, & in Crucis meditullio lignum Dominicæ Crucis impoſuit, propterquod, vt fertur, picturam non recepit. Ex aduerſo Crucis SVPER PILAM LAPIDEAM SERPENTEM EREXIT.* *Ex cap. 823. eorundem Chron. mſſ. Galuanei.*

Conſentit itaque Galuaneus cum reliquis auctoribus, tantique facit Arnulphum, vt appellet Virum Sanctiſſimum, non quidem apotheoſi conſecratum, ſed integritate ſummà vitæ; quamquam, præter multa Scriptorum de Arnulphi probitate teſtimonia, ſcriptor Arnulphus oſtendit, quanti recèns mortuum ætas illa Arnulphum Antiſtitem æſtimaret. Subijce, ſi placet, elogium, & æqualium Arnulphi de tanto Præſule opinionem intellige: *de reliquo Arnulphus Sacerdotaliter ſuam regebat Eccleſiam, Clerum fouens ac populum, ſuiſque planè vacans negotijs, Huius Beatitudinem plura Eccleſijs tradita commendant Beneficia. Illius in tempore Sancti Confeſſoris Monæ reuelata ſunt reliquiæ. Hic etiam fundauit cœnobium* *lib. 1. cap. vlt. de geſtis Vrbis Mediol., & initio etiã lib. 2.* *S. Monæ meminit Martyro. Rom. ad diem 12. Octobris.*

bium S. Victoris Martyris in magno honore & copia frugum, in quo requieſcit in pace ſepultus. In cuius laude reddenda quoniam dies non ſufficit hodierna, præſens claudatur pagina &c.

Quid igitur Vghellus Arnulphum, qui teſtimonio coæui ſcriptoris *Sacerdotaliter* ſuam regebat Eccleſiam, *bellicoſi ſpiritus* arguit; quaſi verò galeà caput libentiùs tegeret, quàm infulà, enſemque lituo præferret? Quid illum Valerianus Caſtillionęus inſimulat ſchiſmatis, quod Angilberto Archiepiſcopo, exortum duobus fere ſeculis Mediolanenſem Eccleſiam à Romana diſſociauerit? Quæ ſententia hominum Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtites carpentium, quàm falſa ſit, non modò Puricellus oſtendit, verùm etiam teſtata de Arnulphi vita laus, & per omnium ferme Scriptorum ora cõſtans. Cũ Arnulphus à portu Bariano rediens ad Inſubres pergeret, atque iter Romà faceret, Romanas primùm Baſilicas venerabũdus adijt, tum verò Pontificem Maximum ſalutauit; an Schiſmaticus Antiſtes, qui à Romana Eccleſia deſeciſſet, Summum Pontificem coleret, ſalutem regnanti precaretur? De manu Herculis clauam antè extorqueres. Hæc tamen geſta fuiſſe ab Arnulpho Landulphus Senior, illius ferè æqualis, teſtatur in hiſtoriæ capite, quod titulum præfert eiuſmodi: *De morte Othonis Regis & Stephaniæ*: quo in loco poſtquàm narrauit domitum fuiſſe ab Othone III. Creſcentium, ipſumque

tomo 4. Ital. Sacra col. 139.

Notà 532. in 3 Regnum Italiæ Theſaur.

in monum. Baſil. Ambroſ. nu. 109. & ſeq.

hiſt. ſupra memoratà.

que deinde Othonem malo dolo Stephaniæ eiuſdem Creſcentij vxoris interemptum, hæc prodidit memoriæ. *Quæ omnia cùm Arnulphus, vir per omnia curioſiſſimus, ſeriatim ac ſtudiosè inquireret, vt Romæ geſta erant, in veritate comperit. Igitur diuerſarum multarumque rerum in auro, & argento, ac palliorum diuerſorũ mobilibus onuſtus, viſitatis Apoſtolorum Reliquijs, multiſque Martyribus, à quibus Roma vſque hodie ornata & honoranda à multis frequentata populis, necnon APOSTOLICO SALVTATO, ab eademque vrbe diſcedens, iter, quo Mediolanum repedaret, aggreſſus eſt.* Niſi fortè aliquibus Ciaconius [a] errorem attulit, qui Ioannem XVII. Pſeudopontificem, Arnulphũ antea vocatum (noſtri quidem, ſed melioris Arnulphi æqualem) *ex Epiſcopo Placentino Archiepiſcopum Mediolanenſem fuiſſe* affirmat; verùm odoratum cenſeo mendam ſuam Ciaconium, nam aſteriſco in eum locum animaduertit. Certè Philagathus appellabatur ille Pſeudopontifex, non Arnulphus, quemadmodum Baronius [b] tradit: neque Philagathi vnquam vllius nomen in albo Mediolanenſium Antiſtitum legimus; quod pugnaciſſimè tuebimur, ſi opus erit, ad delendam maculam ſchiſmatis, quæ iniquè in Ambroſianæ Metropolis nomine inueterauit, inuſtà quoque adulterini Pontificatus notà; licèt Campus [c] rerum Placentinæ Eccleſiæ ſcriptor accuratus Ciaconium reprehendat,

[a] *tomo I. in vitis Pontif. ad Gregoriũ V. editionis anni* 1630. & *Oldoinus in necrol. Pontif. ad diem* 3. *Iunij.*

[b] *tomo* 10. *ad annum Chriſti* 996.

[c] *tomo I. hiſt. Eccl. Placent. ad annũ Chriſti* 991.

hendat, atque Ambroſianam inſulam obiecto perperam crimine liberet. Quid ergo inſonté Arnulphum ciuem & gentilē [a] ſuum, quem ab alijs damnatum etiam noxæ ſuſpicione ob Patriæ Gentiſque charitatem liberare debuerat, Caſtillionæus ciuis & gentilis iniuſtè criminatur? Sanè Arnulphum ſcriptores omnes virum magnæ ſanctitatis appellant, & Chalcus [b] ipſe (cuius frequenter teſtimonio vtitur Caſtillionæus) vocat *vltorem Eccleſiæ, virum pari in cunctis laude dignum*, eumque nouiſſimè Diuus Carolus Borromæus [c] *pietatis nomine illuſtrē* fuiſſe profitetur. A ſchiſmate poſtmodùm illud profectum docet Caſtillionæus [d], vt Oldericum, vel Alricum (quod aliquibus probatur) Epiſcopum Aſtæ cogeret Arnulphus, ad Metropolitæ obſequium, licèt à Romano Pontifice initiatum; quæ quantùm careant vel criminis vmbrà, quis ignorat? Etenim non ab alio quondam Epiſcopi inaugurabantur, quàm à ſuo Metropolita (quod vir ſummæ eruditionis Henricus de Noris [e] probat): idque perpetuò & conſtanter ab Archiepiſcopo Mediolanenſium peractum produnt Annales & monumenta huiuſce Metropolis: donec ſeculo [f] octauo acriter de Conſecratione diſputatum eſt inter Sanctiſſimos Præſules Benedictū [g] Mediolani & Armentarium Ticini [h], quem Benedictus ad Metropolitani iuris [i] officia reuocabat. Tum

verò

a Matthæus Caſtillionæus & Beſſa Nigrinus tradunt hunc Arnulphum eſſe ex Gente Caſtilionæa.

b hiſt. patria lib. 6.

c parte 6. Actorū

d in nota 532. ad Idem Regnum.

e in diſſertat. hiſtorica de Synodo 5.

f Baronius ad annum 711.

g in Martyr. Rom. ad diem 11. Martij fit mentio S. Benedict.

h ad diē 30. Ian. *i Puricellus in vita S. Laurentij Litta cap. 13.*

verò Oldericus Præſul Aſtenſis ad eum honorem obrepſerat: idque fide ſcriptoris Arnulphi a præmeſero. *Quod factum Archipræſul Arnulphus exhorrens, conſecrationem, quæ ſibi competebat, omninò vetuit. Oldericus autem ille ſuâ fretus & fratris potentiâ, Romam proficiſcens, ſubreptione quadam conſecrari ſe fecit à Romano Pontifice. Quod vbi innotuit Arnulpho iuſtâ ſatis accenditur iracundiâ &c.*

Quamuis autem famam ſuſpectæ fidei Arnulpho ſcriptori inurat [b] Vghellus, quòd ſolus affirmet ab Henrico Oldericum Pontificatu Aſtenſi fuiſſe exornatum, eam nihilominùs maculam eluit Puricellus [c]; neque id mihi à vero abeſſe videtur: etenim cùm occultè Principes regni [d] fauerent Henrico, quidni Magiſtratibus illos alliceret? Quid ſi conciliaturus ſibi eorum animos, qui partibus Ardoini ſtudebant, conſultò Oldericum eiuſdem Ardoini conſanguineum Aſtæ Epiſcopum deſignauit? Certè Principes, cùm ſibi acquirere hominum ſtudia, atque ab hoſtium partibus aliquem conantur abducere, eundem primùm lactant, & inani aliquando etiam ſpe producunt: tum auro (quod validiſſimus aries eſt) vel honoribus, alienæ fidei inſidiantur. Demum (quod Puricellus [e] opinatur) Manfredus frater Olderici fortaſſe ad partes Henrici tranſiuerat, inde Aſtenſis Eccleſiæ infula defectione comparata eſt. Quæ igitur firma & inconcuſſa antea fuerant, ea negligeret

Arnul-

a cap. xxi. hiſt. mſſ.

b tomo 4. Ital. col. 500. in vita Alerici ſeu Olderici & Auguſtinus ab Eccl. in hiſt. Chronol. ad Epiſc. Aſtenſes.

c n. 213. in monum. Baſil. Ambroſ.

d vt infra ex Arnulpho hiſtorico.

e in diſput. mſſ. de elect. Olderici, quã ſeruat in aduerſarijs Patrui ſui Auguſt. Puricell. Archipreſb. &c.

Arnulphus Antiſtes, atque oſcitãter ab alijs pateretur, ſurreptitiã præſertim conſecratione, infringi? Hoccine verò argumentum ſchiſmatis? Immo infracti pectoris argumentum, & ſingularis Arnulphi laus, qui tueatur iura Metropolis, qui reluctantes cogat etiam armatus [a] imperium ſubire; quam defendendæ Eccleſiæ conſtantiam & exempla legimus plerumque in Annalibus Eccleſiaſticis, præcipuè Mediolanenſibus, cùm Henricus Septala [b] Archiepiſcopus Homobonum Medalbertum Epiſcopum Cremonæ Metropolitani imperij iugum indignantem Sacrorum communione prohibuit; eaque propter Sanctus Carolus in Actis [c] laudat Arnulphum, *quòd Epiſcopum Aſtenſem, qui ab officio erga Sedem Metropolitanam deſciuerat, parere coegit*. Contrà verò Aſtenſis Epiſcopus ſecundùm à ſuo Metropolita defecit; proinde quaſi prouidus malorum Arnulphus obuiam iuit malo: atque cùm detrectaret rurſus Metropolitæ imperium, adfuit vltor iniuriæ Anſelmus Puſterla Archiepiſcopus, *qui in Germaniam legatus miſſus, inde rediens, Epiſcopi Aſtenſis* [d] *auctoritatem Metropolitanam deſpicientis audaciam fregit*. Neque verò temere factum putamus ab Arnulpho, Præſule egregiè cordato, vt Ardoinum de magiſtratu moueret: nam ſuper eà re Concilium Laudenſe habuit, vocatis ad conſultationem & deliberationem Epiſcopis atque Abbatibus Prouinciæ; ne au-

tem

a Arnulphus ſcriptor eodem lib. & cap. & reliqui Mediol. Eccl. hiſt.

b Vghellus tomo 4. Ital. in Epiſc. Cremon.

c ibidem.

d S. Carolus in Actis ibidem.

tem accipere tantùm teſtimonia à noſtratibus videamur, vocabimus in teſtem Petrum Mariam Campum [a] magnâ eruditione virum, præter Sigonium [b] plurimâ laude Arnulphi comitia extollentem. *Hauendo già i Prencipi di Germania all'incõtro conforme alla legge di eſſo Gregorio, concordemente aſſunto per Imperatore, a cui ſi doueſſe anche il Dominio d'Italia, Enrico Duca di Bauiera cognominato il Zoppo, ed Enrico il Santo, il quale perciò ne pretendeua il poſſeſſo; e tanto più che era ſtato eletto Ardouino ſenza ſaputa, e contro il volere dell'Arciueſcouo di Milano Arnolfo, il cui interuento e beneplacito ricercare ſi ſoleua nel creare, & incoronare i Regi d'Italia. Per queſto non parendo ad Arnolfo di douere diſſimulare ſi grande ingiuria fattagli della violata giuriſditione, e prerogatiua ſua cotanto illuſtre ed antica, ne mai a ſuoi tempi interrotta, come hebbe in Lodi adunato vn Concilio di molti Veſcoui, & Abbati, e fatto loro conſtare delle ſue valide ragioni, dichiarò il detto Arciueſcouo per non legitimamente eletto Ardouino, & approbò per Rè il mentouato Enrico, di onde ſorſero in queſte parti nuoui tumulti e fattioni; e perche Enrico da alcune ſue guerre impedito non potè sì preſtamente trasferirſi in Italia, hebbe Ardouino grãde agio di ſtabilirſi nel Regno, e di perſeguitare e mal trattare Arnolfo, & i ſuoi adherenti, e parteggiani, de quali vno ſi crede, che foſſe il*

[a] *lib.* 13. *hiſt. Eccl. Placent.*
[b] *lib.* 8. *de Regno Italiæ.*

Digitized by Google

noſtro Sigifredo. Multa igitur ſtimulauere iuſtum dolorem Arnulphi; deſignatus fuerat Ardoinus, inconſulto & inuito Mediolanenſium Antiſtite, Rex Italiæ, cùm eius tamen prærogatiua ſuffragia quæri debuiſſent: violata antiqua Eccleſiæ iura, quæ, niſi Theodelindæ regnantis calculo, & S. Gregorij Pontificis Maximi decreto, ſaltem Caroli Magni auctoritate, & conſuetudine inueteratà creandi Regis ſancita fuerant: coronatus Ardoinus Ticini ab Vidone Epiſcopo, quæ cæremonia Metropolitanæ ſemper fuerat poteſtatis; hæc quidem omnia inuiolata perpetuò manſerant in Metropoli: cæterique antè Archiepiſcopi, longo creandi, coronandique ordine, iure ſibi antiquo ac ſingulari vendicauerant. In tanta igitur cauſa primus vinci, immo deſpici Arnulphus? Prior ille decedere de veteri poſſeſſione, atque de honore Pontificali demi aliquid ſineret? Extrema potiùs omnia experiri Arnulphus, caput ipſum periculis offerre debuerat; idque contigit iniuriam propulſanti: nam in ſumma contentione alter regni, alter poteſtatis acerrimè dimicauit: ſecutique ſunt Arnulphum Sigifredus Epiſcopus Placentiæ, & [a] Petrus Antiſtes Nouariæ, Metropolitani iuris vindices impauidi, licèt cum ſuo Metropolita mala [b] ſanè plurima perpeſſi infenſum habuerint [b] Ardoinum. Scilicet; hoc ſchiſmate Romano Pontifici negauit obſequium Arnulphus? Hæc macula inuſta

a *Carolus à Baſilica Petri in Nouaria Sacra lib.* o.

b *Campus & à Baſilica Petri ibidem.*

ſta religioſiſſimo Antiſtiti, quòd iura Metropolis infracto pectore propugnaret. Neque verò Arnulphum regnandi, ſed tuendæ poteſtatis cupidum appellauerim: neque ſeditionis arguerim Synodum Laudenſem, iuſto vindicandæ Eccleſiæ ſtudio, coactam: quam S. Carolus Borromæus, itemque Carolus à Baſilica Petri, Campus, cæterique ſcriptores præteriuiſſent, niſi ea tuendæ Metropolitanæ poteſtatis bono fuiſſet habita. Quidni potiùs damnauit Caſtilionæus Principes regni, quàm Præſulem gentilem ſuum, quos Arnulphus[a] ſcriptor illorum æqualis totidem verbis reprehendit: *in medio Principes regni, fraudolenter incedentes, Arduino palàm militabant, Henrico latenter fauebant, auaritiæ lucra ſectantes, ſicut dictum eſt ad Ieruſalem per Prophetam: Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones: quorum conſilio direxit Henricus in Italiã ſuum cum exercitu Ducem:* quem tamen euocatum in Italiam ab Arnulpho quidam falsò tradiderunt. Immo declinandæ inuidiæ causà, poteram illam exonerare in Heribertum Archiepiſcopum, cuius auſpicio tradit Merula[b] Henricum in Italiam contendiſſe; verùm id Merulæ nequeo aſſentiri: quippe dimicatum eſt cum Ardoino debellatumque anno decimo[c] tertio ſupra milleſimum, (aut anno quinto ſupra milleſimũ, vti placet[d] Puricello) Arnulphus verò etiam anno ſequenti lu-

cis

a *lib. 1. hiſtor. cap. 9.*

b *lib. 2. de antiquit. Vicecom.*

c *Gordonus in 2. parte Chronol.*

d *in diſputat. mſſ. ſupra memorata.*

tis vſurà fruebatur, quemadmodum indicant tabulæ Sanctimonialium Cœnobij in Valle paulò antè memoratæ. Quamobrem numinis iudicio ſumma rei Italæ delata Henrico eſt, quem S. Vuolphangus vaticinio, S. Heribertus [a] Coloniæ Antiſtes ſuffragio, Arnulphus integritate vitæ illuſtris ſuo item calculo & ferreo diademate inſigniuit. Hæc Arnulphi conſtantiam, illa verò magnanimum probant, cùm religioſa tantùm munera è gaza regia ſecreuerit, lignum videlicèt Crucis Sanctiſſimæ, æneumque ſerpentem. Quòd autem Galuaneus tabulam impatientem fuiſſe picturæ docet, quæ in vmbilico partem Crucis diuinæ aſſeruaret, id, niſi miraculo eſt, ſaltem monumento. Etenim Crux, quæ è regione ſerpentis æreí imaginem Chriſti Seruatoris religioni adorantium offert, ora Ieſu tantùm, manùs & pedes pictos obijcit oculis: reliquum corpus minimè potuiſſe pingi teſtatur Galuaneus, ideoque ſerico panno contegitur. Et quidem cùm nuper ea Crux conchyliato tegmine ornaretur, alia & ſanè multiplicia velamenta reperta ſunt, quæ fidem Galuaneo ſcribenti faciunt, Quæ verò in hiſce chronicis tradidit Galuaneus, ea rurſus alibi memorat, iterumque affirmat pro Reliquijs *acceptum fuiſſe ab Arnulpho* [b] *SERPENTEM AENEVM, QVEM MOYSES IN DESERTO FECERAT, LATVM, ET POSTEA IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII COLLOCATVM.* Eadem

[a] *De S. Heriberto primo Electore Imperij vide Cröbach tomo 1. & 2. hiſt. Vrſulan.*

[b] *Puric. in monũ. Baſ. Ambroſ. nu. 198.*

Eadem fere legimus in monumentis, quæ vulgò Ioanni de Monte aſcribuntur; porrò exorditur ſcriptor ab anno milleſimo octauo ante Chriſti aduentum, ſuumque opus abſoluit monimentis anni trecenteſimi ſexageſimi primi ſupra milleſimum; quod ſanè dignum fide exiſtimamus, quando auctor in limine operis* confitetur ſe ex plurimis ac vetuſtiſſimis Chronicis omnia collegiſſe: atque ad veritatis teſtimonium ſingulorum Chronographorum nomina deſcribit. Hæc igitur tradit auctor*: *iſto tempore Otho Imperator huius nominis tertius hunc Arnulphum Archiepiſcopum Mediolani in Conſtantinopolim mittit, vt ſibi Imperatoris Conſtantinopolis filiam ſuper omnes virgines ſpecioſam copularet. Fueruntque cum Archiepiſcopo Mediolani duo Duces, Prælatorum multi diuerſorum graduum induti aureis & ſericis veſtibus, cum pellibus armellinis, aut cibellinis, vel dorſibus variis, ſeu martirinis. Hic Arnulphus dum Curiam Imperatoris Conſtantinopolitani intrauit, equum Imperialem ſuum miræ pulchritudinis, præparatum cingulis abraſtis, ferris aureis cum clauis argenteis ferratum, ſupra pannum pretioſiſſimum deauratum in publica platea collocauit; ipſe verò in Pontificalibus cum Stola, quam portare ſolitus erat, vniuerſoque comitatu ſuo magnificè ornato ad Imperatorem ingreditur, & apertà cauſà ſui aduentus, Imperator filiam ſuam*

Mſſ. in Biblioth. Ambroſ. liber inſcribitur, Manipulus Florum de his monum. Vide Puricellum in differt. Naz. cap. 2.

**cap. 1.*

** c. 237.*

eidem tradidit conducendam vſque ad Romanum Imperatorem. Tunc Imperator Conſtantinopolitanus Arnulphum Archiepiſcopum Mediolani in cameram omnibus theſauris plenam introduxit, rogans eum, quatenus, quod ſibi magis erat gratum, pro munere recipere dignaretur; ſed Arnulphus de Arſago Mediolani Archiepiſcopus, totus magnanimus, annulum, quē in digito portabat, theſauro imperiali addidit; PRO RELIQVIIS AVTEM SERPENTEM AENEVM, QVEM MOYSES IN DESERTO EREXERAT, ACCEPIT, QVI MODO IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII ERECTVS CONSPICITVR. Attamen antequàm illa puella ad Imperatorem Othonem perueniſſet, Otho moritur, & quòd Imperium per electionem iret, ordinauit. Arnulphus verò Archiepiſcopus Mediolani, auditâ morte Imperatoris iuxta portum Barianum, puellam in Conſtantinopolim patri ſuo remiſit, ipſe verò ad ciuitatem Mediolani repedauit.

Eodem ſeculo exeunte Ambroſius Boſſius, Ticinenſis, ex Ordine Dominicano, quædam Chronica ſcripſit, queis titulus *Flos Florum*; ex ijs nonnulla decerpſimus, noſtrū laborem atque ſententiā probante Ioanne Baptiſta Blāchino, viro apprime erudito, in cuius domeſtica Bibliotheca illa Chronica legimus à pluribus tabellionibus obſignata. Hæc ſenſa Boſſij: *Arnulphus huius nominis II. ex Capitaneis*

Ex cap. 522.

de

de Arzago Mediolani Archiepiſcopus LXX. anno Domini vndemilleſimo ſedit annis decem, & nouem. Vir magnæ ſanctitatis fuit, QVI SERPENTEM ÆNEVM, QVEM MOYSES EXALTAVIT IN DESERTO, DE CONSTANTINOPOLI MEDIOLANVM EXPORTAVIT CVM MAGNA PARTE CRVCIS DOMINICAE, ET IN SANCTO AMBROSIO SVPER COLVMNAS MARMOREAS EREXIT. Hic Archiepiſcopus exiſtens in Conſtantinopoli, cùm Imperator Conſtantinopolitanus, omnes eius theſauros obtuliſſet, theſauros reſpuit, & pretioſum annulum, quem digito geſtabat, theſauris adiunxit. Etiam Boſſius vocat Arnulphum magnæ ſanctitatis virum: conſtanti ſcilicet Antiſtitis famà, cuius pietas & religio inſtituto quoque pingui Sacerdotio, *Abbatiā* appellāt, in Portiana Baſilica elucent, vbi illius oſſa placidè compoſta quieſcunt. Egregiam hanc laudem Arnulphi magno item cumulo auget gloria [a] Landulphi II. fratris, [b] quem Arnulphus anno MII. Brixienſis Eccleſiæ infulà auctum inaugurauit [c]: iſque fratris ſui Archiepiſcopi moribus ita reſpondit, vt monumenta quædam Brixienſia illum in Beatorum [d] album retulerint.

Obtulit pariter mihi Sanctuarium, vti vocant, ſcriptum anno MCDL. Ioannes Baptiſta Corneus, in Metropolitana Baſilica Odæi Magiſter, quærendæ ſeruandæque antiquitatis ſtudio-

a *Falnus in Cælo Eccleſiæ Brixianæ.*

b *Vghellus tomo 4. Italiæ in Epiſc. Brixien. & Beſſa Nigrinus in Elogio Gentis Caſtillionææ.*

c *Beſſa Nigrinus in eiuſdē Landulphi elogio.*

d *idem Nigrinus ibidem.*

ſtudioſiſſi nus; inter cæteras Ædis Ambroſianæ opes codex ille anonymus æneum ſerpẽtem commendans albo nobis calculo ſuffragatur.

mſſ. *Ancora fu dito, che ſopra la colonna, che per mezzo la dicta Croxe* E LO SERPENTE DI BRONZO, EL QVALE MOYSES SECONDO LA PAROLA DE DIO DRIZO, *azoche tanta mortalitade per lo morſo delli ſerpenti ceßaſſe, e chi lo vedeua ogni dì ſanauano, e quella Croxe Santo Ambroſio con deuotione* (ſiquidem Ambroſium auctorem operis putat eius codicis ſcriptor) *la drizò, azò con conſideratione de la paſſione del Noſtro Signore Ieſu Chriſto dal morſo deli demonij foſemo liberadi e ſanadi dale noſtre infirmitade: e perzò li fantini picolini in lo dì poſo Paſqua de la Reſurectione funo portadi lì, azòche li vedeno queſto ſerpente, e dal morſo deli vermini fuſſemo liberadi, e queſto approua la frequente devotione.*

Index præterea geminus, ſiue nomenclatura Antiſtitum, qui Ambroſianæ Metropoli præfuere, nobis fauet: alter quidem in membrana exaratus concluditur anno MCDLXXXIX., alter anno MDXIX. Prior Sancto Ambroſio donum ſerpentis ænei tribuit, quod nonnulli ſcriptores memorauere (neque enim vter Mediolanum detulerit anguem æreum, Ambroſius, an Arnulphus: vter dono dederit, Theodoſius Ambroſio, an Conſtantinus Arnulpho, quærimus in præſenti, modò ſer-

Mſſ. in Biblioth. Ambroſ.

pentem

pentem hunc eſſe illum eundem, quem Moyſes ex ære conflandum curauit, liquidò ſtatuamus): poſterior index teſtimonio Datij rem confirmat. *Hic Beatus Ambroſius Clauum, qui erat in Conſtantinopoli in forma freni equi, ex Clauis infixis in Corpore Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Mediolanum portauit: ITEM PORTAVIT SERPENTEM MOSAYCVM MEDIOLANVM, QVI NVNC EST IN SVA ECCLESIA.* Idem ſentit Petrus Sorexina Theologus in ſuis Chronicis.

Catalogus in vita S. Ambroſij.

Puric. in monů. Baſil. Ambroſ. nu. 101.

In altero indice hæc narrantur: *Datius ſcribit Othonem III. ab eodem Archiepiſcopo coronatum. Idem Archiepiſcopus Conſtantinopolim profectus SERPENTEM MOESIS ÆNEVM, QVEM A CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORE ACCEPERAT, MEDIOLANVM ASPORTANDVM CVRAVIT.* Neque verò putes Diuum Ambroſium profectum aliquando fuiſſe Conſtantinopolim: verùm cùm antea Clauus & ſerpens æreus Byzantij aſſeruarentur, delati Romã, inde ab Ambroſio, aut Byzãtio Mediolanum à Theodoſio ſunt exportati, qui ad Inſubres veniens Clauũ Chriſti Seruatoris vnà cum ſerpente Ambroſio impertiuit; niſi æneum colubrum aſcribere malumus Arnulpho, quod ſimile magis vero eſt.

in vita Arnulphi II.]

Seculo itidem ſuperiori (vt res ordine per ſua quæque tempora procedat, ac ſingulorum quidẽ ſeculorum fide rata ſit) Francilcus Ca-

Ex tabulario Archiepiſcop. in libro de Inſtitutione Abbatiæ S. Victoris.

ſtellus Metropolitanæ Baſilicæ Canonicus Ordinarius, vir eruditus in primis, meæ ſententiæ ſubſcribens, veritatem hanc in multorum, ac præſertim in noſtrorum Maiorum opinione ſitam eſſe profitetur. Quod certè argumentũ ſatis firmum eſt, cùm eadem vno ſcribentium tenore, ac ſeculornm teſtimonio ſparguntur in vulgus: eoque argumento Borghinius Laurentianam Baſilicam Florentiæ olim ab Ambroſio Mediolanenſium Præſule inauguratam oſtendit, quòd vulgaris opinio eius cæremoniæ ſit teſtis: illudque accedit ex ſententia Borghinij: *è la fama comune vn di quelli argomenti, de quali non ſi fece mai beffe a fatto perſona ſauia.* En teſtimonium Caſtelli: *Arnulphus Secundus ex Capitaneis de Arzago ſerpentem æneum, qui eſt in Eccleſia Sancti Ambroſij ſupra columnam, de Conſtantinopoli ciuitate Mediolanum reportauit. Opinio multorum, vt à Maioribus habuerũt, eſt, quòd hic SERPENS SIT ILLE, QVI A MOYSE IN DESERTO EXALTATVS FVERIT PRO POPVLI SALVTE: e regione verò eiuſdem conſtrui fecit Altare cum Cruce ſupra, comprobans ſacræ paginæ dictum: ſicut Moyſes in deſerto exaltauit ſerpentem, ita oportet Filium hominis in Cruce exaltari.*

pag. 369. in diſputat. de Eccleſ. & Epiſcop. Florentiæ.

Ex tabul. Archiepiſc. in Actis Viſitationis anno 1566. die 20. Nouemb.

Hanc multorum, immo vulgi, opinionem firmat Sancti Caroli approbatio Aedem Ambroſianam luſtrantis: quippe in actis traditum legi-

legimus: *e contra hoc altare (*nempe Crucis*) adeſt quidam ſerpens aneus in ſummitate columna impoſitus, QVI VVLGO HABETVR PRO ILLOMET, QVEM MOYSES IN DESERTO EX PRAECEPTO DEI PRO EPIDEMIA SEDANDA FABRICARE FECIT.*

Claudit agmen Iacobus Valerius, Canonicus Scalenſis, cuius Rhapſodias ex vetuſtiſſimis Chronicis collectas in Bibliotheca Ioannis Baptiſtæ Blanchini inuenimus; licèt ſeruari in Cœnobio Ambroſiano anguem æneum affirmet: cuius tamen ſedem non chronicorum, fide tantùm, ſed oculorum etiam teſtimonio minimè ignoramus. *Monaſterium, quod dicitur S. Ambroſÿ, fundauit Petrus Archiepiſcopus Mediolani, IN QVO EST SERPENS ÆNEVS MOYSI, de quo in ipſa Moyſis hiſtoria dicitur.* *Mſſ.*

Venio nunc ad teſtimonia Scriptorum, qui ſuas lucubrationes prælo vulgauere; horum ſignifer eſt Cauitellius: *et anno ſequente Henricus II., Claudus nuncupatus, Dux Bauariæ, & Othonis I. ex fratre nepos, per electores ex auctoritate ſibi attributa à memorata conſtitutione Gregorÿ olim Summi Pontificis electus fuit Cæſar, & Arduinus Marchio Iporegiæ, habito conuentu Papiæ procerum Ciſalpinorum, per illos electus fuit Rex Italiæ, & per ibi Præſulem coronatus, Arnulpho Archiepiſcopo Mediolani inuito, per eum dono habito à Conſtantino Im-* *in Annalibus Cremonæ ad annũ 1003.*

peratore ByZantij SERPENTE AENEO PER MOYSEN IN DESERTO FABRICATO, ET ILLINC ALLATO MEDIOLANVM, ET IBI IN TEMPLO MAIORI REPOSITO; In Templo nempe Ambroſij, quod Cauitellius vocat maius ob conuentùs Prouinciæ ibi habitos, vel propter cæremoniam coronandi Regis, atque Prouincialium Epiſcoporum Liturgiam, aut quia primaria quondam fuerit vrbis, de quo à nobis a alibi diſputatum eſt.

a *lib. 3. de origine & ſtatu Biblioth. Ambroſ.*

Cauitellio ſubſcribit Schraderus: *Diui Ambroſij, olim Protaſij, & Geruaſij frequens eſt* (Templum) *OB SERPENTEM AENEVM, QVI IN DESERTO POPVLO ISRAELITICO PROPOSITVS, & à Theodoſio Imperatore Diuo Hieronymo*(Ambroſio potiùs)*dono datus, & hìc repoſitus eſt, cui è regione ſignum Crucis rubea oppoſitum.*

lib. 3. monum. Italiæ.

Aſſentitur Schradero Paulus Hentznerus: *oſtenduntur hìc* (nempe in Aede Ambroſiana) *inſuper variæ in Sacrario Diuorum Reliquiæ, ATQVE INTER EAS AENEVS SERPENS IN MARMOREA COLVMNA POSITVS, munus à Theodoſio Auguſto quondam allatum Mediolanum cum vno Clauo ex ijs, quibus in Cruce Seruator noſter fixus fuerat. Clauus autem in Diua Thecla Templo ſeruatur: Serpentis anei imago habetur pro eadem, quam Moyſes in deſerto Iudæis ſuis fabricauerat.* Porrò deletâ ſuperiori ſeculo Aede Theclæ,

In Itinerario.

quæ

quæ fuerat olim princeps vrbis, atque Aeſtiua vulgò appellabatur (quòd liturgi Metropolitanæ Baſilicæ illic æſtiuo tempore, hyberno autem in Templo Sanctæ Mariæ Maioris, quod propterea Hyemale vocabatur, facerent pſallerentque) Clauus collocatus eſt in ſumma teſtudine Templi Maximi; porrò in hoc Hentzneri loco imago ſignificat anguis totius ſimulacrum, alioqui nec iconem colubri rectè ſcriptor appellaret RELIQVIAS, nec exiſtimari poſſet idem ipſe coluber Moyſis.

A cæteris neutiquã diſſentit Pighius: *rogabat Carolus, quidnam ſignificet aneus ſerpens in marmorea columna poſitus? Cui reſponſum eſt, munus hoc à Theodoſio Auguſto quondam allatum fuiſſe Mediolanum cum vno Clauo ex ijs, quibus in Cruce Seruator noſter fixus fuerat, Clauum in Diuæ Theclæ Templo ſeruari: SERPENTIS HVIVS IMAGINEM HABERI PRO EADEM, QVAM MOYSES IN DESERTO IVDÆIS SVIS FABRICAVERAT.* *In Herculè Prodicio.*

In hac quòd accepta ſententia ſit, fuit etiam Ioannes Henricus à Pflaumern auctor Mercurij Italici. *Multa alia corpora & oſſa Diuorum, quæ in hoc Templo* (videlicet Ambroſiano) *& ſacrarijs adiacentibus coluntur, Paulus Morigius* (huiuſce auctoris ſententiam proferam in tempore) *accuratus talium ſcriptor recenſet, meminitque anei ſerpentis medio in Templo columna impoſiti, & probat ILLVM IPSVM ES-* *pag. 622. editionis Lugdunenſis.*

SE, QVEM MOYSES DIVINO IVSSV FECIT, coluerunt poſtea Iudæi ſuperſtitioſè, eòque Rex Ezechias diffregit: apparent enim fragmentorum notæ; & quia inter Byzantina gazæ ſpectacula à Nicephoro Imperatore repoſitus, argumento eſt adulterinum, vel noui operis non fuiſſe; Byzantio autem perlatus Mediolanum fuit circiter annum DCCCCLXXIII. quo tempore Otho III. Occidentis Imperator Nicephori filię nuptias ambiuit, miſſuſque ob eam rem à Summo Pontifice Arnulphus Arſagus Mediolani Archiepiſcopus ad Nicephorum, & admiſſus in aulicum gazophylacium, ne otioſus ſpectator fuiſſe videretur, annulum, quem digito gerebat, immenſi pretij detractum alias inter opes donũ reliquit. Imperator turpe ducens ſe ab hoſpite vinci liberalitate, è diuerſo poteſtatem optionemque ei fecit, vt eligeret ex omni numero rerum maximarum, quod maximè vellet. Arnulphus, non aurum, non gemmas, in vicem eorum, quę dederat, SED VNVM ILLVM AENEVM SERPENTEM diuinum opus dono petijt, accepitque, & redux in Patriam ſupra columnam in hoc Templo, vt videre eſt, conſtituit. Egregiè quidem Auctor Mercurij, niſi Chronologi refragarentur; contra Chronologiam tamen prior peccauit Bernardinus Corius, cæteri acceſſere præcipites. Vt enim dari potuit à Nicephoro ſerpens æneus, quem ſcimus anno * nongenteſimo ſexageſimo nono occubuiſſe?

* *Baronius tomo 9. & Curopalates.*

Arnul-

Arnulphus quidem cùm Byzantij Stolam detulit honoris Pontificalis indicem, ac Mediolanenſem Eccleſiam Gregorio Quinto Pontifice Maximo adminiſtrauit, [a] anguem à Nicephoro impetrare non potuit. Illa ergo certa in hac cauſa ponantur; legatione Byzantinà defunctum fuiſſe Arnulphum omnes conſentiunt: Romanum Pontificatum capeſſiuit Gregorius anno DCCCCLXXXXVI., quo tempore non modò Nicephorus [b], verùm etiam Ioannes Zemiſces [c] deceſſerat: ad legationem iuit Arnulphus non niſi anno milleſimo primo, ineunte autem anno ſequenti, ad portum Barianum appulſis nauibus, Othonem III. Romæ interfectum accepit: reuerſus ad Inſubres, cùm fuiſſe auctum Italiæ Regno Ardoinum audiuiſſet, eundem loco mouit. Itaque ſtatuendũ eſt, quod optimè animaduertit Cauitellius & Nigrinus, ſerpentem æneum donatum fuiſſe à Conſtantino, qui vnà [d] cum fratre rerum potitus fuerat in Oriente (quamquam autem Baſilius imperium ſolus moderaretur, Conſtantinus tamen iure hæreditario illud iniuerat, regijs præterea inſignibus ornatus) eumque collocatum fuiſſe in Templo Ambroſij anno milleſimo ſecundo, cuius initio rebus humanis Otho III. exceſſerat; ex quo conijcimus Arnulphum anno milleſimo primo ad legationem perrexiſſe, reuerſum exordio ſequentis anni, quo primùm regnare cœperat Ardoinus, quẽ-

admo-

a *in Chron. Ecc. Panuinij & in Actis Mediol. Eccl. & ex tabulis ſupra memoratis Cœnobij Virginum in Valle.*

b *Baronius tomo 10. ad annũ 969.*

c *Sculetus in Chronol.*

d *Cuſpinianus in vita Baſilij & Conſtantini.*

admodum produnt [a] tabulæ [b] ab eodem ſubſignatæ menſe Quintili. Quamobrem quotquot, aut dono datum à Nicephoro, aut ab Ioanne ſerpentem æneum ſcripſere, fruſtra ſunt: nec audiendi, qui de nuptijs Theophaniæ actum ab Arnulpho memorant, quando hæc collocata fuerat in matrimonium cum Othone II., ex filiabus quidem Conſtantini, Eudocia [c] virginitatem ſuam voto obligauerat, Theodora & Zoe Hymenæi vinculis amabant irretiri: licèt illa propoſitas Argyri nuptias ſpreuerit, hæc admiſerit.

Accedit Serenius [d], cùm de gentilitio Vicecomitum angue, & Borromæorum fræno agit: *utrumque multò antè præſignarat* (inquit) *alterũ videlicet mittendo ad nos AENEVM SERPENTEM ILLVM, QVEM DVX POPVLI ISRAELITICI QVONDAM EXALTARAT IN DESERTO, à Nicephoro Græcorum Imperatore*(quo in loco plurium Scriptorum error peccare Serenium coegit) *Antiſtiti noſtro Arnulpho dono datum: alterum verò cùm Sacroſanctum Dominicum Clauum aliquando humanæ Redemptionis miniſtrum, ſed procedente tempore in fræni ſimilitudinem & vſum à Magno Conſtantino efformatum, operà Sancti Patroni Ambroſij recepimus.*

Coronidem imponit Paulus Aringhus è Sodalitio

a in priuilegio quodam Eporedienſis Eccleſiæ apud Vghellũ tomo 4. col. 1495 annus 1003. dicitur annus I. regnantis Ardoini.

b Campus tomo I. hiſt. Placent. Eccl. pag. 497. & ex tabulario Inſignis Cœnobij Ambroſ. Mediol. in quo ſeruatur Priuilegium factum ab Ardoino die coronationis Abbati Hugoni & Baronius tomo undec. pag. tertia. Pingonius in Auguſta Taurinor.

c Cuſpinianus in vita Conſtantini.

d pag. 619. in Stylobate Borromaeorũ.

dalitio Oratorij, cuius plurima eruditio è cryptis Martyrum emerſit in lucem. Porrò *SERPENTEM HUNC, QUEM EZECHIAS CONFREGERAT, Arnulphus Mediolanenſis Archiepiſcopus à Nicephoro* (malim à Conſtantino) *Conſtantinopolitano dono acceptum, qui id veluti pretioſiſſimum Mediolanum detulit: ibique in Diui Ambroſij Eccleſia ad perenne myſterij haud vnquam obliterandi monimentum ad hanc vſque diem perſtat.*

Parte 2. Roma Subterranea lib. 5. cap. 4. num. 5.

Poſt Latinos ſcriptores vocamus in teſtes veritatis Italos; ante omnes Ioannes Petrus Caſoratus in libello, qui typis Mediolanenſibus impreſſus fuit anno MIID., in noſtram ſententiam cum cæteris pedarijs concurrit; commendat ille Baſilicam Ambroſianam: hæc de Cruce, & ſerpente æneo ad illius Templi venerationem, impolitè quidem, ſed candidè narrat. *Ancora in mezo de la gieſia è vna Croce ſopra vna colonna, la quale è de grande deuotione &c. la quale hà per mezo LO SERPENTE DE BRONZO, EL QUALE MOYSES SECUNDO LA PAROLA DE DIO LO DRIZO, azioche tutta la gente fuſſe ſanata da li morſi de li ſerpenti. E quella Croce Sancto Ambroſio cum grande deuotione là drizò, acioche tutti gli Chriſtiani per commemoratione de la Paſſione del Noſtro Signore Yheſu Chriſto dal morſo de li demonij fuſſemo liberati e ſanati da le noſtre infirmitade: & però li fantini picciolini*

titulus libri eſt: delle Chieſe di Milano &c. *Eadē prorſus leguntur in alio libello edito Mediolani anno MDXV.*

in lo

in lo dì poſe Paſcha de la Reſurrectione fun portati lì; azioche li vedeno queſta Croce & lo ſerpente, & dal morſo de li vermini ſiano liberati: & queſto approua la frequente deuotione. Quæ omnia videtur Caſoratus à Sanctuario Mediolanenſi manu exarato, quod eſt in poteſtate Io. Baptiſtæ Cornei, deſcripſiſſe.

Eadem in compendio quodam Mediolanenſium Chronicorum tradita inuenimus; *Fiorendo il Glorioſo Dottore della Chieſa Ambroſio Arciueſcouo di queſta Città, fù donato a i Milaneſi dal detto Teodoſio vno de i Chiodi, co i quali fù confitto ſopra la Croce il noſtro Saluator Gieſù Chriſto, & anco IL SERPENTE DI BRONZO FATTO DA MOISE NEL DESERTO. Il Chiodo ripoſe S. Ambroſio nella Chieſa di S. Saluatore, che poi fù detta S. Tecla, & il ſerpente nella Chieſa di S. Geruaſio & Protaſio, al preſente di S. Ambroſio.*

cap. 4.

Ab hoc compendio non tantùm ſententià, ſed ne verbis quidem diſcrepare videtur Sanſouinus: *ne tempi di Teodoſio fiorendo Ambrogio Arciueſcouo di queſta Città, fù donato a i Milaneſi dal detto Teodoſio vno de i Chiodi, co'i quali fu confitto ſopra la Croce il noſtro Saluator Gieſù Chriſto, & anche il SERPENTE DI BRONZO FATTO DA MOISE NEL DESERTO. Le quai coſe Santo Ambrogio ripoſe nella Chieſa di San Saluatore, ora di Santa Tecla, & nella Chieſa di Santo Geruaſio, & Prota-*

nel ritratto delle più nobili e famoſe Città d'Italia a cart. 61. doue ſi tratta di Milano.

Prota-

Protaſio, al preſente di Santo Ambrogio.

Auctorem igitur muneris fuiſſe Theodoſiũ oſtendit Sanſouinus, eiſdem penè verbis conſentiente cum alijs ſcriptoribus Leandro Alberto a : *ne tempi di Teodoſio, fiorendo il Glorioſo Dottore della Chieſa Ambrogio Arciueſcouo di queſta Città, fù donato a i Milaneſi dal detto Teodoſio vno de i Chiodi, co'i quali fù confitto ſopra la Croce il noſtro Seruator Gieſù Chriſto, ED ANCHE IL SERPENTE DI BRONZO FATTO DA MOISE NEL DESERTO. Le quai coſe S. Ambrogio ripoſe nella Chieſa di Santo Saluatore, hora di S. Tecla, & nella Chieſa di Santo Geruaſio ed Protaſio, al preſente di S. Ambrogio.*

Hæc monumenta numeris vinxit Raphael Toſcanus. b

Diede a gl' Inſubri queſto Imperadore
Vn de tre Chiodi, con cui fù confitto
Sopra la Croce il noſtro Redentore,
Per cancellar l'antico rio delitto,
E'L SERPENTE DI BRONZO, CHE'L SIGNORE
FECE FAR A MOSE FVOR DELL'EGITTO;
Le cui ſacre Reliquie e pretioſe
In Santa Tecla Ambrogio indi ripoſe.

Inter ſcriptores rei patriæ de ſerpente æneo diſputauit fusè Gaſpar Bugattus c ex Ordine Dominicanorum: eiuſque ſumma cum laude meminit Gozzeus d : *riceuuto l'Arciueſcouo*

Arnol-

a *nella deſcrizione dell' Italia a carte* 426.

b *Nell' origine di Milano.*

c *lib.* 3. *dell' iſtoria vniuerſ. e nell' aggiunta della medeſima iſtoria.*

d *in Catalogo viror. illuſtriũ Ordinis S. Dominici.*

*Arnolfo dall'Imperatore Conſtantinopolitano ſolennemente, e con eſſo lui hauendo conchiuſo, quanto fù biſogno a sì alto ſpoſalitio, l'Imperatore iſteſſo lo conduſſe a vedere i ſuoi Teſori: affine che prendeſſe in dono quel, che più gli aggradiua, ſapendo (oltre i meriti della liberalità d'vn Principe) quanto era per potergli giouare queſto perſonaggio, fidandogli vna sì fatta impreſa l'Imperatore dell'Occidente, e di Roma. Tuttauia Arnolfo non men generoſo e liberale di Niceforo (*immo *di Conſtantino) rifiutò ogni coſa di valore: anzi per maggior grãdezza ò ambitione quiui laſciò vn ſuo anello, che di dito ſi traſſe di molto pregio con merauiglia de preſenti: ne altro chieſe, ò preſe, che quel* SERPENTE DI BRONZO ROTTO, E LA RIPOSTO, CHE GIA ERA ADORATO DA FIGLIVOLI D'ISRAELE NEL DESERTO, CHE DAL BVON RE DI GIERVSALEM EZECHIA FV SPEZZATO, *peroche i Giudei corrotti anche nel ſuo tempo l'incenſauano come ſtudioſi dell'Idolatria. Queſto Serpe egli adunque portò a Milano con gran contento d'animo, parendogli vna delle più belle anticaglie del mondo (ma anco più per eſſere il più nobile ed alto ſimolacro dell'Altiſſimo Miſtero della Croce di Gieſù Noſtro Signore) ed lo ripoſe ſopra quella colonna nel Tempio di S. Ambrogio, doue fin al dì d'hoggi anco ſi vede poſto per contro alla Santa Immagine del Crocefiſſo, cioè l'vno all'*

altro

altro dirimpetto la figura col figurato, per vna eccelſa dimoſtratione d'vn coſi raro, anzi mirabiliſſimo fatto: ladoue è gran tempo interuenuto, ed hora interuiene, che i fanciulli da lor parenti, ò nudrici portati, ò guidati il giorno dopo Paſqua di Reſurrettione ſi ſanano dal male famigliare ad eſſi de lombrichi, inginocchiandoſi, ed orando auanti il Crocefiſſo, ed mirando chi i fanciulli mena al Serpente. Poſt hæc digreditur Bugattus paulùm ab inſtituto docens, quantùm interſit inter ſuperſtitionẽ & religionem: cultumque Mediolanenſium, cùm ſerpentem Ambroſianum venerarentur, idololatriæ minimè reum fuiſſe demonſtrat: mox redit, vnde diſceſſerat: *la ſuperſtitione publica di queſto tal ſerpente non l'haurebbero mai ammeſſa nel Tempio di S. Ambrogio tanti Arciueſcoui, e Prelati di Santa Chieſa, ſe non fuſſe per la relatione, che diſſi: ne meno ſe fuſſe (come altri ſcriſſero) inſegna d'Eſculapio, perche ſarebbe totalmente in fatti contra la pietà e Religione Chriſtiana. Conferma dunque l'opinione mia queſta ragione, che diſſi, che queſto SERPENTE SIA QVELLO DEL DESERTO, oltre l'autorità delle antiche Croniche di Milano, ed oltre che ſappiamo durare aſſai il bronzo, che miracolo non ſia, ſe ſin hoggi ſi è mantenuto dal grande Moſè circa 3050. anni, maſſimamente conſeruato in quel modo che ſi sà ſopra terra, ſempre in*

luoghi riſpettati, eſſendo anco durata (per la più parte ſotto terra) lunghiſſimo tempo la Lupa di bronzo, che hoggi è drizzata in Campidoglio di Roma &c. Oltre che ſappiamo come Ezechia lo ruppe, e rotto in quattro pezzi lo veggiamo, ma ricongiunto: oltre che ſi ſanno l'impreſe d'Eraclio Imperatore, come ricuperò, quanto poco inanti perdè Foca ſuo predeceſſore, riportando in Gieruſalemme di Perſia ciò, che quindi Coſdroe ne portò via, come diſſi di ſopra, e che trionfante di Perſiane ſpoglie ſi riconduſſe a Conſtantinopoli, nel qual tempo tienſi, che cotal ſerpe là fuſſe portato, e conſeruato, come ſolemo noi conſeruare, e tener cara vna medaglia di bronzo antica, più che ſe fuſſe d'oro. L'Arciueſcouo Arnolfo dunque fù grandemente per queſta ambaſcieria da Ottone Terzo Imperatore e dal Papa lodato. Ergo Arnulphum Summus Pontifex cōmendauit, quem ſchiſmatis damnauerat Caſtillionæus? Nempe vt ſtatueret diadema Ardoino, infulam penè detraxerat Caſtillionæus Arnulpho, gentilitatis oblitus, quæ illum cum Arciaco coniunxerat; quippe ex Gente Caſtillionæa prodijſſe Arnulphum memoriæ tradidit Cauitellius [a], Matthæus Caſtillionæus [b], & Antonius Beſſa [c] Nigrinus. Quòd autem Arnulphus identidem ex Capitaneis oppidi Arciaci vocetur, non familiæ, ſed honoris ea appellatio eſt: cuiuſmodi

a in Annalib. Cremona fol. 28. à tergo.
b de origine Gentis Caſtillionæa pag. 9.
c in Elogijs virorum Gentis Caſtillionæa.

modi Magiſtratibus ſæpe inſignitus fuit præſtantiſſimus quiſque ex domo Caſtillionęorũ.

Porrò idem Nigrinus in Elogio Arnulphi nobiſcum ſentit. *Ritornato Papa Gregorio a Roma nel ſeggio di S. Pietro, fù conchiuſo eſſer bene per la Chriſtianità di conchiudere matrimonio frà Zoe figliuola di Conſtantino Imperatore Orientale, & Ottone Terzo figliuolo del Secondo Imperatore Occidentale, già vedouo per la morte di Maria ſua prima Conſorte; onde congiunte in parentado queſte due ſopreme potenze con la Pontificale ſi godeſſe una pace vniuerſale frà i Chriſtiani. Trà molti perſonaggi fù ſcielto l'Arciueſcouo Arnolfo, come quello, che era prudentiſſimo, & propriamente atto a gran maneggi, per trattare, & conchiudere ſi grande ſponſalitio. Egli perciò andò a Conſtantinopoli con tanta grandezza, e maeſtà, quanta ſi poteſſe imaginare, & fece ſtupire Conſtantino, & la Greca ſua Corte per gli ori, & argenti, & per gli drappi di broccato, ond'erano ſuperbamente ornati i Cortegiani, ed i ſeruitori, & ſino i caualli di quel Pontifical Legato, & Imperial Ambaſciatore inſieme. Ladoue egli fù ſolennemente raccolto più che altri a lui ſimile mai vi fuſſe da quella Maeſtà. Et eſpoſta col ſuo facondiſſimo parlare la cagione della ſua Ambaſcieria, trattò del Matrimonio, e lo conchiuſe con intiera ſodisfattione di chi ri-*

cercaua, di chi era ricercato, & di chi lo fece ricercare: ſe ben poi non hebbero l'effetto ſuo, eſſendouiſi oppoſta la morte dell'Imperatore Ottone l'anno MII. Conſtantino poſcia atteſe ad honorarlo, col renderlo informato delle grandezze del ſuo Imperio; perilche moſtrògli i ſuoi teſori, pregandolo a prendere quel che in eſſi gli fuſſe più a grado. Mà egli trattoſi di dito vn proprio anello di pregio grandiſſimo, eſſendo non men generoſo, & liberale di Conſtantino, ne accrebbe il regio teſoro, quaſi voleſſe con la propria liberalità concorrere con quella dell'Imperatore. Ma per non laſciare vana, & infruttuoſa la corteſia di lui, rifiutando i doni di valore più grande, ſolamente gli chieſe QVEL SERPENTE DI BRONZO, CHE GIA FV ADORATO NEL DESERTO DAGL' ISRAELITI, QVANTVNQVE ROTTO, ET NON NELL'ESSER SVO PRIMO, ET SE LO PRESE, ET PORTOLLO A MILANO, OVE NELLA CHIESA DI S. AMBROGIO COLLOCOLLO SOPRA VNA COLONNA, SOPRA LA QVALE COME PRETIOSA RELIQVIA E STATO SEMPRE, ET E TVTTAVIA IN SOMMA VENERATIONE APPO I MILANESI. Quare Othoni tertiam vxorem ducere conſtitutum erat: ſiquidem Mariam conuictam ſceleris addixit igni: Creſcentij Romani coniugem res ſuas habere iuſſit, quemadmodum memorat Petauius.

p. I. rationarij tempor. lib. 8. cap. 17. & 18.

tauius. Cur autem Græcam vxorem peteret Otho docent Arnulphus[a], & Chalcus[b]; placebat nimirum Imperatori connubium illius nationis, *ex qua Theophaniam matrem ſortitus fuerat.* Egregiè verò Nigrinus de nuptijs Zoes actū fuiſſe tradit, quando[c] Cōſtantinus iuuenis coniunctus fuerat matrimonio cum Alypij filia, ex qua Eudociam, Theodoram, & Zoen ſuſceperat: quarum poſtrema, cùm parens ſenio conflictaretur, Romano Argyropolo iuncta eſt.

a *lib. 1. hiſt. mſſ. cap. 7.*
b *hiſt. pat. lib. 6.*
c *Cuſpinianus in vita Conſtantini.*

Sententiam aliorum Scriptorum ſubſignat Morigius[d] pluribus in locis hiſtoriæ Mediolanenſis; illud tamen eſt columen & cardo cauſæ, quod capite vndecimo libri ſecundi ſcripſit. *Hanendo noi fauellato de Corpi Santi, & delle Reliquie, & dell' Arca de tre Magi, & de danari, che offerſero quei tre Rè a Noſtro Signore Bambino, che ſono nella noſtra Città, non mi pare ſconueneuole, ſe hora diciamo qualche coſa del Serpente di bronzo, qual è poſto nella Chieſa di S. Ambrogio di Milano. Fù adunque portato queſto Serpente a Milano da Arnolfo Arciueſcouo di Milano, & Milaneſe, del parentado degli Arzaghi, & lo ripoſe nella Chieſa di Santo Ambrogio ſopra vna colonna, doue egli ſi vede inſino al dì d'hoggi. Queſto Arciueſcouo coronò Otto Imperatore in Milano, vn' altra volta riceuette il Papa nella Città & l' Imperatore con gli loro eſerciti, &*

d *lib. 2. pag. 310. & 363. & in Sãctuario Mediol. cap. 4.*

 furono

furono in tal maniera accarezzati, & ben trattati, che tutti ſtettero con grande ammiratione del ſontuoſo apparato, & della gran ſpeſa fatta dall'Arciueſcouo. Vn'altra volta queſto Arciueſcouo fù mandato dall'Imperatore Otto di queſto nome il ſecondo (quod quantùm Chronologiæ aduerſetur, profectò ij intelligent, qui rationem temporum à nobis antè expenſam ad examen reuocabunt) *all'Imperatore dell'Oriente in Conſtantinopoli, per iſpoſare ſua ſorella, & condurla nell'Italia, laonde Arnolfo andò con tanta gran pompa, che della ſua grandezza fece grandemente ſtupire non ſolo l'Imperatore, & la ſua Corte, ma anco tutti i Conſtantinopolitani, veggendo tanta comitiua d'honorati Caualieri con tanti ori, broccati, & riccami, oltre alla gran quantità delle gioie. Conchiuſe poi l'Arciueſcouo con l'Imperatore di quanto volſe trattare. Piacque all'Imperatore iſteſſo di condurre Arnolfo a vedere i ſuoi teſori, & diedegli ampia licenza, che quiui egli pigliaſſe ciò, che più gli aggradiua. L'Arciueſcouo poi c'hebbe ringratiato l'Imperatore, & laſciato in quel luogo vn'anello pretioſo, dimandogli quel* SERPENTE DI BRONZO ROTTO, CHE FECE GITTARE MOISE NEL DESERTO, CHE GIA FV ADORATO DA FIGLIVOLI D'ISRAELLE, NEL DESERTO, CHE POI DAL BVON RE DI GIERVSALEMME EZECHIA FV

SPEZ-

SPEZZATO, perche i Giudei corrotti anco al ſuo tempo l'incenſauano. Portò adunque l'Arciueſcouo Arnolfo queſto ſerpente a Milano con gran contento di lui, parendogli, come in effetto è, vna delle più belle anticaglie del mondo, & lo ripoſe nella Chieſa di Santo Ambrogio, & dirimpetto vi è l'imagine del Crociſiſſo, acciò ſi veda la figura, & il figurato &c. (hìc nonnulla conſultò præterimus ab alijs antè memorata, ne recoctam crambem apponere videamur.) *Queſto ſerpente fù portato a Milano gli anni del Signore DCCCCLXXIII.* (immo anno milleſimo ſecundo, quod ratio temporum poſtulat) *benche il Merula dica altrimente* (cùm tamen nuſquã ſerpentis æreì meminerit) *& Triſtano Calco nel terzo libro della ſua hiſtoria aſſegna altre ragioni, nondimeno la piu comune opinione è come habbiamo detto.*

Omnium igitur ſententiâ liquet hunc eſſe ſerpentem Moſaycum, quod teſtatur etiam Petrus d'Auity in Topographia Europæ. *La* *tomo* 3. *ſeconde principale Egliſe eſt celle de Sainct Ambroiſe dedièe premierement à l'honneur de S. Geruais & de S. Prothais, par ce bien heureux Prelat, dont le corps giſt au deſſous du grand Autel, au milieu de ceux de ces Saincts Martyrs. On voit au milieu de ceſte Egliſe ſur vne colonne* ***LE SERPENT DE BRONZE ESLEVE PAR MOYSE AV DESERT, TRANS-***

PORTE DE CONSTANTINOPOLE A MILAN.

Quapropter tot Auctorum teſtimonio freti, quorum monumenta propoſuimus ad depellendam legentium moleſtiam, qui, aut Chronica vrbis deſiderarent, aut diſſipatas pluriū ſententias cum faſtidio perquirerent, *SERPENTEM HVNC ILLVM EVNDEM ESSE, QVEM OLIM MOYSES AD SANANDVM POPVLVM EX ÆRE CONFLAVIT, PALAM PROFITEMVR*: nobiſque videntur etiam aſſentiri[a] Puricellus & Vitalis[b], licèt ancipites, nec diſſidere à Corio, & Sigonio, nec nobis audeant aduerſari. Baronius nuſquam de Ambroſiano ſerpente diſceptauit, quod maximè feſellit Vghellū[c]: Franciſci verò Scoti ſententiam affirmantis hunc anguem eſſe imaginem Moſayci nihil omnino moror: nam ſicut alia peccauit in ſuo illo itinerum Italorum indice, & Vlyſſe longiùs errare coegit viatores: ita illius ſententiam diluere ſi velim, nullum me operæ pretium facturum cenſeo, tum quia imago in Reliquias minimè refertur (cùm tamen ſerpentem hunc etiam aduerſarij RELIQVIAS appellent) tum quia illud noui Sophoclis:

Vnius quæ ſit viri, haud eſt ciuitas.

Quando igitur maior ſententia vincit, non quidem ex ſermone hominum recenti, ſed ex Annaliū vetuſtate profecta, atque tradità veluti

a *in monum. Baſil. Ambroſ. nu.* 202.

b *in theatro triūphali cœmento* 13.

c *tomo* 4. *Italia col.* 138.

luti per auos atauoſque opinione firmata, quidni ſententiam hanc verò magis ſimilem, ob Scriptorum quoque copiam, exiſtimemus? Aduersùs tot Auctorũ & Chronicorum teſtimonia obloquitur imperitè Boſſius, eleuaturus bene opinantium fidem, *atque ſe fideliores de ſerpente æneo ſcripturas habere fatetur;* quod hominis glorioſi ſomnium eludit facilè Ioannes Petrus Puricellus, vir in antiquitate ſcrutanda ſolertiſſimus, Boſſium rogando, *quidni ſcripturas iſtas protulerit?* Certè ad tuendam Aeſculapiani huiuſce ceraſtis ſententiam, quam veluti filiolam ſuam exoſculatur Boſſius, excutere nidos omnes librarios, & conſulere tabularia debuerat, ne ampliùs ciues atque exteri colubrum hunc eſſe Moſaycum cenſerent. Verùm nuſquam reperit *fideliores haſce ſcripturas* bonus tabellio: cuius Chronica nonnulli pluris faciunt, quàm ſanos ſcriptores: quemadmodum in pretio eſt Bibliopola Beſutius auctor hiſtoriæ Pontificalis Mediolani, quem nullo in numero habet Puricellus, vt ſcripſi in priori libro de Pontificatu Gaſparis Vicecomitis, qui anno ſequenti fortaſſe Typographos conueniet. Adeò ſine delectu ſcriptores leguntur, ac æſtimantur.

in Chronicis ad annum 390.

in monum. Baſil. Ambroſ. num. 202.

Id reſtat in præſens, vt nodos aliquos ſoluam, quibus fortaſſe Ambroſianus coluber magis illigat ingenia, quàm ſeipſum. Ac primùm

mùm ſe ſe mihi obijcit Toſtatus, cuius audito nomine geſtiunt literæ, iſque in commentarijs *Numerorum* [a] affirmat non modò confractum ab Rege Ezechia ſerpentem æneum, ſed etiam combuſtum, proiectumque in torrentem Cedron; præter hæc legi in ora paginæ animaduerſionem eiuſmodi: *nota contra Mediolanenſes, qui ſe gloriantur habere SERPENTEM MOYSI IN ECCLESIA S. AMBROSII*; itemque aliam [b] minimè diſſimilem in alterius etiam paginæ latere inſcriptam vidi. *Ex hoc patet, quantùm errent Mediolanenſes affirmantes, quòd SERPENS MOYSI EST APVD EOS IN ECCLESIA S. AMBROSII*. Ad hæc doctiſſimus Hugo [c] Cardin. ſerpentem æneum ab Ezechia *comminutum in puluerem* tradit; Pererius [d] confractum atque comminutum memorat: *conflatum* eundem anguem docet Cedrenus [e] & Gotfridus Viterbienſis [f]; Vatablus [g] *cōminutum fruſtillatim*; Villiegas [h] ab Ezechia occultatum: præter hos Gaſpar Sanctius [i] ita comminutum ſcribit, vt *nullum prioris formæ veſtigium appareret*. Porrò inter cæteros exultat & triumphat Torniellus [l], qui idcirco vult Aedis Ambroſianæ ceraſtem eſſe adulterinum, quòd verus ille coluber à Moſe conflatus irā ſenſerit Ezechiæ idololatriam acerrimè profligantis: *Et hinc patet* (conſignat hæc annalibus ſuis Torniellus) *quòd ille ſerpens*

a tomo 2. cap. 21 quæſtione 32.
b comment. in 4. lib. Regum cap. 18. quæſt. 5.
c ad caput 21. lib. Numeri.
d diſput. 12. in caput 3. Ioannis num. 56.
e in compendio hiſtoria pag. 89.
f in Chronicis p. 8.
g in caput 18. lib. 4. Regum.
h nella vita di Mosè.
i in lib. 4. Regum cap. 18.
l tomo 2. Sacrorū Annaliū ad annū mundi 3315. num. 8.

pens aneus, qui vſque hodie Mediolani in Tē-plo S. Ambroſij palàm viſitur, & quem, vt refert Sigonius hiſtoriarum de Regno Italia libro ſeptimo, Arnulphus eiuſdem vrbis Archiepiſcopus anno ſalutis circiter nongenteſimo ſeptuageſimo primo ab Othone Germanorum Imperatore Conſtantinopolim ad Ioannem ibi tum imperantem miſſus, ex theſauro eiuſdem Ioannis dono acceptum ad Eccleſiam ſuam detulit, non eſt illemet ſerpens, vt falsò quidam exiſtimarunt, & adhuc à nonnullis imperitis creditur, qui olim à Moyſe in deſerto factus fuerat, ſed alter poſtmodùm neſcio à quo, aut quando, ad illius ſimilitudinem (& quemadmodum eidem Arnulpho Graci, citato authore atteſtante, aſſerebant) ex eadem, quo ille Moſaycus, are conflatus.

Cùm hæc legiſſem, quæ ſcriptores tanti nominis de ſerpente æneo literis mandauerunt, expallui: *Iuuen. ſat. 1.*

vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram:

namque caudam ipſam colubri in calce diſputationis meæ toto prope ceraſte nocentiorem experiebar; attamen recreauit me Theologus Galuaneus Flamma, ipſiuſque verbis diluam facilè Toſtati, Hugonis, Cedreni & aliorum ſententiam: Torniello paulò pòſt reſpondebo. *Nec moueat quemquam* (inquit Galuaneus) *hoc, quod de ſerpente aneo* *cap. 823. in Chron. mſſ. ſupra memoratis.*

dici-

dicitur, quia Magiſter in hiſtorijs dicit, quòd
lib. 4. Regum cap. 18. *in puluerem redactus fuit. Quod Scriptura aduerſari videtur, quia textus Bibliæ dicit, quòd fuit CONFRACTVS; & ſi quis bene cõſideret, ſerpens in bolos, ſiue fruſta fuit cõciſus, & plumbo reparatus.* Et quidem refragatur Toſtati aliorumque ſententia ſacris monumẽtis; quatuor enim in locis, in quibus de ſerpente æneo agitur, nimirum in libro Numeri capite XXI. in libro IV. Regum capite XVIII. in libro Sapientiæ capite XVI. denique in Euangelio Diui Ioannis capite III., nuſquam, niſi aut *poſitum pro ſigno*, aut *confractum*, vel *exaltatum* ſerpentem legi. Porrò indicent aduerſarij, quonam in verſu *conflatum anguẽ, combuſtum, redactum in puluerem, comminutum fruſtillatim* Sacra Biblia doceant. Quę cùm confractum tantummodo ab Ezechia ſerpentem æneum memorent, malim diuinis oraculis credere, quàm Toſtato, Vatablo & cæteris auctoribus: cùm Spiritus in Scripturis loquens ſit Spiritus ſapientiæ, & veritatis: homines autem cœno ficti hallucinari poſſint facillimè, præſertim vbi nullos ſcriptores, neque vlla monumenta proponunt, quæ aduerſariorum ſententiam confirment. Toſtatus tamen, dum fuiſſe proiectum anguem in aquas torrentis affirmat, fortaſſe ea ſpectauit, quæ in libro II. Paralipomenon capite vndetrigeſimo narrantur. Etenim cùm Ezechias

Rex

Rex pientiſſimus Templum expiandum curaret, *Sacerdotes ingreſſi Templum Domini, vt ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in veſtibulo domus Domini: quam tulerunt Leuitæ, & aſportauerunt ad Torrentem Cedron foras.* Illa quoque pertinēt ad expiationem Templi, quæ in eodem libro II. Paralipomenon ſunt deſcripta: *& ſurgentes deſtruxerunt altaria, quæ erant in Ieruſalem: atque vniuerſa, in quibus idolis adolebatur incenſum, ſubuertentes, proiecerunt in Torrentem Cedron.* Hæc nondum officiunt angui Ambroſiano, non modò quia liber Paralipomenon, vti Gloſſa a atque ipſum etymon ex ſententia Toſtati b monſtrat, *omiſſorum*, ſiue *prætermiſſorum* liber appellatur (quæ enim præterita ſunt in libris Regum, ea in libro *relictorum*, ſiue *Paralipomenon* traduntur, quamquam etiam nonnulla obſcura clariùs explicentur) ſerpentis autem ab Ezechia confracti mentio facta eſt in quarto libro Regum: verùm etiam quia immunditia illa, quam Sacerdotes è Templo exportauere (idola nimirum, quemadmodum Cardinalis Hugo & Emmanuel Sà c locum eundem interpretantur) ſublata à Leuitis, delata eſt AD torrentem Cedron, non autem proiecta IN torrentem. Submerſa quidem ſunt in torrente altaria, & vniuerſa, in quibus adolebantur thura; ſerpens verò, neque

cap. 30.

a *initio libri Paralipomenon.*

b *præfat. in lib. Paralipom. tom. I. quæſt. 3. 5. & 6.*

c *in caput 29. Paralipom.*

thuribulis, neque aris fuit impoſitus, ſed in OBELISCO in COLVMNA[a] erectus, quod ex cõmentarijs interpretũ diſcimus *depoſitũ, demolitum, deiectumque* ſerpentem affirmantium. Quæ attentè ſunt expendenda, cùm nihil in ſacris Biblijs ſine oraculo numinis proditum ſit; ex Templo igitur exportatus fuerit ſerpens ad torrentem Cedron, num deinde ſubmerſus? Vel potiùs plura in fragmenta ſectus in torrentis margine iacuit proiectà vilior algà. Illum poſtea fortaſſe ſuſtulit aliquis Idololatra, aut Iſraelita neſcio quis (neque enim omnes, ſi credimus Dionyſio Carthuſiano[b], anguem illum incenſo thure coluerant); quippe ſublatà ſuperſtitione, colubrum æneum aliqua adhuc veneratio veræ Religioni conciliabat, quòd illum conflauiſſet, atque contrectaſſet Moyſes, Dux Sanctiſſimus, indicem ſalutis humanæ, & Chriſti Seruatoris è Cruce pendentis. Quòd ſi pergant ſententiam ſuam tueri Vatablus, & cæteri ſcriptores, ego contra Sanctiſſimos, doctiſſimoſque viros obijciam, qui ſerpentem fractum tantummodò ab Ezechia docent, non in puluerem redactum. Et quidem Athanaſius[c] memorat factum Ezechiæ, qui *demolitus eſt* ſerpentem æneum (nempe in columna ſuſpenſum, quali nunc corporis habitudine ac ſede offert ſe ſpectantibus in Templo Ambroſij): Auguſtinus[d] *contritum* fuiſſe colubrum

a *S. Philaſtrius tomo 4. Bibliotheca Patrum hæreſi* 21

b *Enarrat. in lib.* 4. *Regum art.* 21. *immo Carthuſiano videtur aſſentiri quoque Salianus ad annũ mundi* 3409. *nu.* 27.

c *in Synopſi SacraScript. quod indicat etiam S. Philaſtrius.*

d *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 8

brum tradit, hoc eſt *fractum*, quemadmodũ ſigna fragmentorum Benuenutus [a] in Chronicis ſigna *contritionis* appellauit (certè ſacra monumenta [b] *contritas* fuiſſe ab Ezechia ſtatuas, *confractum* verò ſerpentem teſtantur, quæ *conterendi & confringendi* verba idem minimè ſonare videntur) : Philaſtrius [c] Epiſcopus Brixiæ, Diuis Ambroſio & Auguſtino [d] haud ignotus, *depoſitum* fuiſſe & *fractum* prodit: Gregorius Magnus, cuius ſententiam ſuos in Annales intulit Baronius [e], *eiectum* è Templo oſtendit: Theodoretus [f] *conſciſſum*: Angelomus Monachus [g] *contritum & fractum*: Felicianus [h] Capitonus docet fuiſſe *deletum, fractum, confractum, demolitumque*: Antoninus [i] Florentinorum Antiſtes *confractum* ſerpentem indicat, cui conſentit Sherlogus [l], Procopius Gazeus [m], Nicolaus Serarius [n], Iacobus Salianus [o], Iacobus Gordonus [p], Stephanus Menochius [q], demum Antonius [r] de Eſcobar & Mendoza. Sin verò ſententiam Toſtati propugnas ſacris monumentis, quæ libro quarto Regum capite vigeſimo tertio factum Ioſiæ Regis commemorant luſtrantis Templum reuocatis à Manaſſe Idolis contaminatum: *& efferri fecit*

lucum

a *cuius antè meminimus.*
b *lib. 4. Regum cap. 18.*
c *tomo 4. Biblioth. Patrum hæreſi 21.*
d *in literis ad Quodvultdeum Diaconũ.*
e *tomo 9.*
f *tomo 3.*
g *Gloſſa col. 947.*
g *in enarrationib. in lib. 4. Regum ad caput 18.*
h *in explicationib. Catholicis locorum fere omnium veteris ac noui Teſtam.*
i *tomo 4. Chronicar. in lib. 4. Regum cap. 3. parag. 1.*
l *vol. 2. in Cantica veſtigat. 7. ſect. 4.*
m *in lib. 4. Regum cap. 18.*
n *in lib. 4. Regum cap. 18.*
o *ad annum mundi 3309.*
p *in libro cui titulus* Biblia ſacra *cum comment. tomo 1. ad verſum 4. cap. 18. lib. 4. Regum.*
q *nella parte 5. delle ſtuore pag. 143.*
r *ad caput. 18. lib. 4. Regum.*

lucum de domo Domini foras Ieruſalem in Conualle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper Sepulchra vulgi: & paulò pòſt aræ delentur ab Ioſia: *altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Iuda, & altaria, quæ fecerat Manaſſes in duobus atrijs Templi Domini, deſtruxit Rex: & cucurrit inde, & diſperſit cinerem eorum in Torrentem Cedron;* ego nullam hìc fieri de ſerpente æneo mentionem ſcio, ſed redactũ fuiſſe in puluerem, & cinerem lucum atque aras Idolis poſitas, quas euertit Rex, proiecitque in torrentem Cedron. Hinc fortaſſe, atq; ex vituli aurei excidio patuit feneſtra Toſtato, alijſque, vt cenſerent *combuſtum, redactum in puluerem,* Cedroniſque fluctibus ceraſtem abſumptum, quando ſacrarum Scripturarum oracula eundem fuiſſe tantummodo *confractum* narrant.

Exodi cap. 32.

Poſtquam Toſtati, reliquorumq; Auctorũ ſententias, vt opinor, refelli, venio ad animaduerſiones, quibus inſcripta eſt duplex ora lucubrationum Toſtati. Ego verò haſce magni faciam? Immo tanti, quanti peniculum, quo exterguntur baxeæ. In literis, quas ad lectorem ſcribit Paulus de Euangeliſtis, eas animaduerſiones oſtendit adiectas fuiſſe *à ſtudentibus* (libenter vtor eiuſdem verbis) quarum nonnullas veluti *temerarias, & erroneas* à ſe ademptas eſſe gloriatur. Cùm tamen maximam

in 1. vol. Toſtati.

ximam quoque à literatis viris gratiam foret initurus, ſi hanc etiam notam aduerſus Mediolanenſes obliterauiſſet, à ſe aut præteritã, aut excogitatã. Inde ſatis cõſtat quãti momenti ſint, quæ adoleſcentes vix è ſcientiarum carceribus egreſſi, vel vmbraticarum adhuc facultatum ſtudioſi, literis prodiderunt.

Tornielle verò parciùs iſta viris obijcienda memento. Quid tot ſcriptores, tum falſitatis, tum inſcitiæ damnas? Immo quà ratione; nam tecum vacat philoſophari? *Ezechias confregit ſerpentem, voluitque deinceps nominari Hebraicè Noeſthan: ergo hinc patet, quòd ille ſerpens, qui vſque hodie Mediolani in Templo S. Ambroſij palàm viſitur, non eſt illemet ſerpens, qui olim à Moyſe in deſerto factus fuerat;* pernego complexionem: atqui hinc liquet Ambroſianum anguem illum eundem eſſe, quem Moyſes erigendum curauit; ſiquidem colubrum antè ab Ezechia cõfractum, rurſum ars plumbo coniunxit, quod non modò tot Scriptorum, ſed oculorum fides claré teſtatur. Quibus igitur argumentis complexionem hanc confirmabis? An Sigonij teſtimonio ob peruerſam temporum rationem turpiſſimè (cuius antea monuimus Lectorem) errantis? An quia *factus ſit hic ſerpens à neſcio quo, aut quando*: certè neſcies, Tornielle, quis, & quo anno æreum hunc ceraſtem conflauerit, quando nullus vn-

in annal. lib. ſacris vt ſupra.

quam ante Franciſcum Schottum ſententiam hanc ſomniauit.

Hìc verò tam cernunt acutùm nonnulli, quàm Aquila, aut ſerpens Epidaurius: atque idcirco negant Ambroſianum anguem eſſe Moſaycum, quòd paruus ſit, ac proinde ſpectari ab omnibus Iſraelitarum Tribubus minimè poſſet, quarum caſtra ampla erant, & in longitudinem ſex milliarium protendebantur. Hoc argumento quidam eruditiſſimus concionator meam infirmare ſententiam conabatur: quod obuerſatum poſtea oculis eſt, cùm de ſerpente æneo [a] Cornelium à Lapide interrogarem. Verùm neutiquam opus fuit, vt ſingulæ Tribus anguem à Moyſe ſublatum aſpicerent, ſed ij tantùm, quos igniti ſerpentes læſerant: alioqui coluber æneus mole ſuà culmina Templorum, vel turres æquare debuiſſet; nam ſi ex faſtigio Aedis primariæ Mediolani deſpicias turrim Diui Donati, quæ quinto ab vrbe lapide diſtat in via Romana, illa quamlibèt ingens penè fugit intuentium oculos: cùm tamen ſerpens æneus Moyſis etiam ſecundùm Cornelij ipſius ſententiam conſtitutus fuerit *in PERTICA vexillari*, vel *in haſta*; ſi verò ſubire totius populi oculos, & ſpectari ab extremis vſque tentorijs debuit, vtique ſimilis fuit culmini, vel turri, eaque propter opus erat trabibus maximis anguem imponi. Quod quantùm ſit veris conforme oſten-

[a] *Cornel. in caput. 21. Numerorum ad numer. 9. & Toſtatus in caput 21. Num. quaſt. 8. qui tamen ibidem affirmat ſerpentem æneum fuiſſe* in pertica *collocatū.*

oſtendunt plurimi ſcriptores, videlicet[a] S. Gregorius Nazianzenus, S. Auguſtinus[b], Cardinalis Hugo[c], Nicolaus de Lyra[d], Robertus Holkot[e], Villiegas[f], Salmeron[g], Macarius Ægyptius[h], Barradius[i], Santes Pagninus[l], Maluēda[m], Pererius[n], Salianus[o] & Toſtatus, quorũ teſtimonio liquet ſerpentem æneum in *conto*, in *pertica*, in *apice haſtæ vexillaris* fuiſſe collocatum. Quamobrem ſi conto, longurio, aut haſtâ ſummâ ſerpens innitebatur, profectò tantæ molis eſſe debuit, quantæ eſt anguis Ambroſianus; neque is poterat per ſex milliaria ſpectari, verùm ab iis tantùm, quos colubri aſpectus propiùs accedere iubebat, vt remedium malo afferrent præſentiſſimum. Id verò profiteri religio eſſet, niſi dicentem confirmarent Chryſoſtomus[p] & Pererius[q] colubrum æneum *ratus potuiſſe ab omnibus cerni, quibus aſpectus eius erat neceſſarius; neque enim omnes Iudæi, ſed aliqui tantùm percuſſi fuerant à ſerpentibus: & vnus ſerpens, quia ingens admodùm erat* (eius tamen magnitudinis, Pereri, quam deſcripſimus: alioqui apex haſtæ ſuccumbet oneri) *& in ſublimi poſitus, vſquequaque ab omnibus, qui percuſſi fuerant, etiam ex longinqua diſtan-*

G 2 *tia*

a *orat. 3. contra Iulianũ, quam affert Baronius tomo 2.*
b *Serm. 2. fer. 3. poſt 4. Dominicam Quadrageſimæ.*
c *ad caput 21. Num.*
d *in Gloſſa ad caput 21. Num.*
e *Sect. 178. in caput 16. Sapiētiæ.*
f *nella vita di Mosè.*
g *tomo 8. in comment. ad Euang. hiſt. tract. 6. de diſcept. cũ Nicodemo.*
h *homilia 2. de virtute Spiritus Sancti.*
i *tom. 2. comment. in Euang. lib. 4. cap. 2.*
l *in Bibliorum tralat. ad caput 21. Numerorum*
m *ad verſum 8. cap. 21. lib. Num.*
n *diſputatione 12. in caput 3. Io.*
o *ad annum mundi 1583. num. 44.*
p *Ex fragm. orationis in ſerpentem aneum, vt infra.*
q *diſputat. 12. in caput. 3. S. Ioannis nu. 57.*

tia cerni poterat. ET QVI PROPINQVIORES ERANT, STATIM VT SANATI FVERANT, RECEDENTES, LOCVM APPROPINQVANDI REMOTIORIBVS DABANT. Nec diſſentit S. Gregorius Nazianzenus Oratione quadrageſima ſecunda, & tertia aduersùs Iulianum: *Moyſem*(inquit)*ijs, qui percutiebantur, imperaſſe, vt oculos in ipſum intenderent*; quod rurſus conſtat teſtimonio Chryſoſtomi [a]: *Moſes autem æneo ſerpente conflato, eodemque in Crucem ſublato, præcepit: quicunque à ſerpente morſus eſt, ſerpentem contueatur, & ſeruabitur, & reſtituetur.* Accedunt Auguſtinus [b], Cyrillus Alexandrinus [c], Bernardus [d], deniq; Thomas Aquinas [e], omnes clara doctrinæ, & ſanctimoniæ lumina, quorum non modò reſponſa, verùm etiam ipſa Bibliorum oracula [f] haud obſcurè ſignificant, ijs tantùm opus fuiſſe aſpectu ſerpentis, quos colubri lethali morſu petiuerant. Aliud planè aureum eſt teſtimonium Chryſoſtomi: [g] *fac mihi ſerpentem æneum, & fige in ligno ſupra ianuam tabernaculi teſtimonij: & annuntia filijs Iſrael, ſi quis morſus fuerit à ſerpente, VENIAT, & fixum hunc in ligno ſerpentem intueatur, & credens viuet*; inde conijcimus, quanta fuerit ſerpentis ænei moles, quando ſuſpenſus fuerat *ſupra ianuam tabernaculi teſtimonij*; cùm enim tabernaculum totum extenderetur [h] in longitudinem trigin-

ta-

a tomo 5. orat. 2. cui titulus de ſerpéte.

b in Catenam auream S. Thomæ Aquin. ad caput 3. S. Io.

c in Glaphyr. lib. 4.

d in tract. de Paſſ. Dom. cap. 45.

e in c. 3. S. Ioan.

f in libro Num. cap. 21.

g ex fragment. orat. in ſerp. æneũ contra Iudæos, edita in tom. 2. de Cruce Iacobi Gretſeri.

h Toſtatus ad caput 26. Exodi q. 5. & 6.

ta cubitos, in altitudinem denos extolleretur: ferrent autem tabernaculi frontem *quinque columnæ de lignis*[a] *ſetim, quarum capita erant aurea & baſes aneæ:* certè, demptis epyſtilio & baſi, columnæ haud æquabant longitudinem cubitorum nouem, atque adeò in ijs ſuſpendi poterat non niſi longurius, aut haſta, quæ ſerpentem latè conſpicuum læſis corporibus oſtenderet. Atqui patrocinari Antonio de Eſcobar & Mendoza[b] minimè poſſum, qui Deum inducit loquentem cum Moyſe: *aneam perfice ſerpentis imaginem, eam in ſublime erectam, omnibus conſpicuam, trabe aut columnà ſubiectà appone:* quando nullius vnquam trabis aut columnæ ſacri faſti meminere, quæ minimè potuiſſet tabernaculi foribus imponi, quin ſubiectas columnas, & præcipuè geſtatorias, atterens, tabernaculum totum vno caſu deijceret; contra verò haſta, vel pertica obligari nullo negotio poterat columnis, quà patebat aditus in tabernaculum, aut etiam earundem capitulis infigi.

a Exod. cap. 2. verſ. 37.

b comment. in Pentat. ad cap. 21. Nu

. Porrò aurem mihi vellit neſcio quis & admonet, alium eſſe habitum anguis Ambroſiani ac Moſayci, quem circunuolutum palo in pictis tabulis videmus, ita vt ſtipes gerens colubrum literam T imitetur. Ego verò minimè ſum neſcius, plurima ſcitè explicari à Gretſero[c], Duranto[d], atque[e] ab ijs, qui Ezechielis oracula enucleauere, ſublatumque fuiſſe an-

c lib. de Cruce. d de Ritibus lib. 1. cap. 6. e ad caput 9. Ezechielis.

 guem

guem illum Moſayeum in Crucem a, vti placet Chryſoſtomo: verùm quis ſtipiti colubrum circumuolutum monſtrabit? Id quidem licèt ſacra prӕteriuerint monumenta, viri tamen Doctiſſimi & Sanctiſſimi Athanaſius [b], Ambroſius [c], Cyrillus Alexandrinus, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Beda [d], (quos omnes ſequitur [e] Boſius) prӕterea Prudentius [f], Maldonatus [g], Conſaluus Durãtus [h] *ſuſpenſum* fuiſſe in ligno colubrum profitentur. *Poſitum* autem in ſtipite ſerpentem aſſeuerant S. Bernardus [i], Hugo Cardinalis [l], Salmeron [m], Holkot [n], & Steuchus [o]: *affixum* fuiſſe ad apicem ligni docet Macarius [p]; inter omnes illum pulchrè deſcripſit Tertullianus [q]: *Moyſes poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur æneum ſerpentem ligno impoſitum, PENDENTIS HABITV, in ſpectaculum Iſraeli ſalutare propoſuit &c.* Quamobrem *ſuſpenſus* erat ſerpens Moſayeus, pendebatque è pertica: neque obuolutus conto affecta corpora curabat: quemadmodum Ambroſianus ſurrectus eſt in columnӕ capitulo, verſatilis, habituque *pendentis*, aut (ſi mauis) eſt *impoſitus*. Cæterùm pictӕ tabulӕ, quӕ ſerpentem obuolutum palo indicant, nullius momenti ſunt, vtpote ab hominibus profectӕ,

quo-

a ex ſententia S. Io. Chryſoſtomi paulò antè propoſita. b in ſynopſi diuinæ Script. vt ſuprà. c in prima Apologia Dauid cap. 3. d in quæſtionib. in lib. Num. cap. 19. e lib. 3. de Cruce cap. 16. f in Enchiridio. g in Ioannem col. 1402 num. 56. h in notis ad Reuelat. S. Birgittæ ad caput 10. lib. 2. i in Tractatu de Paſs. Domini cap. 45. l ad caput 21.

Num. m tomo 8. in comment. ad Euangelicam hiſt. tract. 6. de diſceptat. cum Nicodemo pag. 55. col. p. n *Sect. 18. in caput 16. Sapientiæ.* o *in caput 21. Numer.* p *homil. 2. de vir. uſu Spiritus Sancti.* q *aduerſus Iudæos cap. 10.*

quorum aut inſcitià, aut quidlibet audendi poteſtate ſingula menda obteguntur. Certè polus, quo nititur & circumagitur ſerpens, illum quondam ab Hebræis fuiſſe *poſitum in conto, aut affixum ad apicem ligni*, apertiſſimè indicat. Illud verò argumentum S. Iuſtini Martyris [a], quo *figuram Crucis ex ære factam à Moyſe, fixamque in Sancto tabernaculo* affirmat, confutat Barradius [b] docens ex ære *quidem factum fuiſſe ſerpentem, non autem Crucem*: neque id ait (quod etiam Lorinus [c] ſentit) in ſacris Scripturis deprehendi, ſeque in ea potiùs eſſe ſententia profitetur, vt Crux facta ſit ex ligno, atque in ea colubrum pro ſigno collocatum. Quare ipſiſſimus eſt Moyſis anguis Ambroſianus, quem Cruci imponi haud neceſſe fuit, quòd illam aduerſa pila colubro obijceret.

Nec mea iam mutata loco ſententia cedit, etiamſi Lorinus [d] ſecutus Pradum [e] aſſeueret ſerpentem æneum alatum fuiſſe, itaut expaſſis alis Crucis ſimulacrum adumbraret. Quod cùm ſoli ex omnibus affirment, neque ſacra monumenta ceraſtem Moyſis alatum fuiſſe doceant, licet mihi ab illorum ſententia diſcedere: quam accepit Lorinus, Pradus autem ſine auctore, ingenioſè magis, quàm verè excogitauiſſe videtur, quando verſum vndetrigeſimum [f] Iſaiæ *& ſemen eius abſorbens volucrē*, quo vterque nititur, eo pacto multi ſacrarum lite-

[a] *in Apol. 2. ad Imperatorē Antoninum.*
[b] *in itiner. filior. Iſraël lib. 8. cap. 14. & tomo 2. comment. in Euangel. lib. 4. cap. 2.*
[c] *in cap. 21. lib. Num. pag. 779.*
[d] *in caput 21. lib. N. pag. 779. ad literam d.*
[e] *ſect. 6. ad viſionem primam Ezechielis comment. in eundem Ezech.*
[f] *cap. 14.*

literarum interpretes[a] enodant, vt nec Lorini ſententiæ ſubſeruire poſſit, nec Pradi.

Affabrè quidem ſerpentem æneum Moyſes elaborauit, verùm minimè ſubnixum alis, qualem icuncula Micrologo præpoſita ſubijcit oculis: ſiquidem haud defuiſſe in caſtris Hebræorum gnaros artifices ij credent facillimè, qui ſacris monumentis omnia credunt. Beſeleel[b] & Ooliab callebant probè artem condendi *quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ÆRE, marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum*; vt minimè mirandum ſit Ambroſianum ceraſtem non ſine artificio fuiſſe confectum: quod ſanè Deus Moyſis ingenio indidiſſet, etiamſi viros artis fuſoriæ peritos deſideraſſet. Quòd ſi Aaron ſummo artificio vitulum aureum fecit, vt priùs illum *depinxerit cum ſtilo*[c] *in tabula*, deinde graphidem tradiderit artificibus ad opificij doctrinam: quidni ingenioſior foret Moyſes, ac ſubtiliori artificio conderet ſerpentem ſalutis humanæ tutorem, & Christi Seruatoris expreſſam imaginem, quàm Aaron quondam vituli faber ſuperſtitionem inueniſſet? An vitulus quamlibèt aureus melior æneo ſerpente? Immo ſuum iam diē obierint Beſeleel & Ooliab, quo tempore Moyſes ſerpentem ſuſtulit, vti Aaron[d] in terris eſſe deſierat, adhuc, præter Moyſem parentem operis, alios ſuperfuiſſe viros[e] artis ſciētes, ſocios Beſeleel ac Ooliab,

cre-

a S. Cyrillus Alexandrinus, S. Thom. Aquinas, Lyranus, Didacus Aluarez, Cornelius à Lapide, Gabriel Aluarez, Forerius, Sanctius, Hugo Cardinalis, Adamus Saſbout, Pineus, Leo Caſtrus, Emmanuel Sà.

b Exodi cap. 31.

c Lyranus in gloſſa ad cap. 32. Exodi nu. nono.

d ex cap. 20. lib. Numerorum.

e horum mentio fit in Exodo cap. 36.

credendum eſt,qui cùm *ſcirent à fabrè operari quæ in vſus Sanctuarij neceſſaria ſunt, ET QVAE PRAECEPIT DOMINVS*, etiam iuſſi à numine, vt ſerpentem conderent, ſummo illum artificio profectò elaborauiſſent. An autem perpetuo ære, aut ex pluribus portionibus conſtiterit ſerpens, quæ poſtmodùm iunctæ in vnum corpus coaluerint, futilis quæſtiuncula eſt, de qua nihil certi habeo. Vtcunque artifex genuerit ſerpentem æneum, rurſus confractæ partes copulari vtroque modo potuere: ita vt minor in maiorem induceretur, quà æs perpetuum religioſa mallei vltio diſiunxiſſet; vel ſi ex pluribus portionibus genitus ceraſtes fuit, aſcititiæ partes diſſociatæ facillimè fuerint, ſiquidem copula (quippe ære toto imbecillior) ſtatim malleo frangenti paruiſſet: ac, vt rurſum iungerentur, contuſa malleo fragmentorum ora atteri limæ beneficio debuere, atque minor adhuc pars inſeri maiori. Quæ omnia neutiquam diſcrepare à norma artis fuſoriæ teſtatus eſt Ambroſius de Groſſis æris conflandi peritiſſimus, qui de ceraſte Ambroſiano conſultus, non modò opificij, ſed oculorum iudicio fretus, mihi reſpondit: cui fidem nemo ſanus negabit, quando ille ſimulacra ex ære plura alibi, in vrbe autem ſignum ingens Diui Caroli ex cupro & ære condidit, atque in foro ad Curiam Ducis collocauit. *Exod. cap. 36.*

Cùm igitur ſententias omnes de ſerpente

æneo

æneo poſuerim in medio, iam, quæ earum verâ ſit, me indicauiſſe cenſeo; verùm hic Rhodus, hic ſaltus; narrant (inquiunt homines omnia in dubium, aut rebelli ingenio, aut imbecilli, vocantes, qui fidem demunt, niſi vaticinamur e tripode, & de Apollinis cortina dicimus:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ)
narrant hæc de angue æreo Mediolanenſes tantùm ſcriptores, glorioſi laudum vrbanarum bucciñatores, ac inter ſe diſſidentes, cùm alij Ambroſio, alij Arnulpho ſerpentem referant acceptum: quæ autem variè tradunt auctores, ea ſimillima fabulis, & anicularum lucubratione digna videntur. Ergo cùm legationem Arnulphi, cùm ſerpentem æneum Byzantio in Inſubres delatum memorare debui, ſcriptores rerum Iaponenſium, aut Perſicarum adirem, quibus nocte ipsà res Inſubrum ſunt obſcuriores? Regiones ſingulæ proprijs illuminantur monumentis, niſi fortè de terrarum omnium imperio ſtatuque inibi dimicatũ ſit, tunc enim etiam ab exterorum commentarijs lucem petunt. Porrò vrbes ſingulas regioneſque à ciuibus & conterraneis ſuis illuſtratas nouimus: vt ſi quis ſcribere velit, earum ſcriptores, cum diligentià tamen, quærere, conſulere, atque in illorum annalibus faſtiſque ritùs, prælia, ortùs, interitùſque imperiorum, virtutes, ac vitia incolarum explorare cogatur. Quamquam nihil

hil aliquando, vel ſaltem malignè de re patria ſcripſerunt auctores? quod vitium eſt ſeculi huiuſce publica ferè monumenta negligentis, quæ venientia tempora quærent ardentiùs, ac- cuſatura omnium noſtrùm ſocordiam veritati minimè proſpicientium: eandemque incuriam olim poſteritas damnabit, nempe cùm hoſtis negotiabitur pecuniâ populorum dedecus, cui obuiam ire obijciendo æqualium teſtimonia non poteris. Rectè Quirites & Græci tot auctoribus ſua facta vulgauere; atque vna pugna Marathonia monſtro eſt, quæ, teſte Plutarco, trecentos habuit ſcriptores. Quamobrem fides tribuenda eſt rei patriæ hiſtoricis: neque ad illam impetrandam quidquam poſcit Alſtedius[a], niſi vt hiſtoria ſcripta ſit à viro probo & integro; ego verò non modò vſus ſum teſtimonio virorum eiuſmodi, verùm ferme æqualium, eorumque, qui in Chronicis elucubrandis omnia veritati, nihil aſſentationi, nihil Patriæ ſtudio, hoſtiumue odio tribuerunt; quos meritò improbat Euſebius, quòd *ſe ſuamque gentem ſemper in Capitolio locent, exteros verò & hoſtes ſuos ſemper vituperent*. At de ſerpente æneo noſtrateſne tantùm tradidere? Sanſouinus, Schraderus, Aringus, alijque an non peregrini? Quid igitur fidem abrogas? Cùm fidẽ ſingulorum penè ſeculorũ conſenſus (ſi rationem[b] ſubducere velis) & Scriptorum nume-

tomo 4. Encyclopædia cap. 3.

b *Serpens aneus allatus eſt Mediolanũ anno* 1002. *quod teſtatur Datius, qui vixit anno* 1073. *Landulphus* 1085. *Gothofredus* 1220. *Benuenutus* 1318. *Flamma* 1340. *de Monte* 1361. *Libri mſſ. annorum* 1450. & 1489. *nec non* 1519. *Caſtellus* 1560. *Viſitatio Baſilicæ Ambroſianæ anno* 1566. *præter ſcriptores impreſſos.*

numerus fere coæuorum, nobiliũ, priſcorum extorqueat: qui ſi inter ſe conſentiant, illorum ego auctoritatem, non temerè, ſed prudenter ſequor. Et quidem illorum diſcordiam diſſimulare nullo modo poſſum: quam tamen diſſipamus facilè, cùm res propoſita ſemper ſalua ſit, atque ad vnum omnes Ambroſiani Templi anguem illum eundem eſſe, quem Moyſes in eremo ſuſtulit, vnanimi teſtimonio fateantur. Etenim paucas mihi proferes hiſtorias (modò ſacra excipias monumenta) locorum, perſonarum, ac temporum conſenſione concordes, quin reprehendendi ſcriptores, caſtigandi, vel ſaltem in concordiam redigendi. Exemplum ſubijcit mors Othonis III. cuius frequens mentio rediuit. Papæ, quantùm hìc ſententijs variatur! Rogas auctores, quo anno interierit Otho? Friſingenſis, Abbas Vrſpergenſis, Hermanus Contractus, Onuphrius Panuinius auctor eſt anno milleſimo primo: Marianus Scotus, Lambertus, Sigebertus, & Rupertus Abbas Cœnobij Tuitienſis diem ſuum anno ſequenti obijſſe affirmant. Quis dies ſupremus diluxit Othoni? Scotus eundem deceſſiſſe quinto calendas Februarias, Hermanus decimo calendas, duodecimo plures, Ditmarus nono calendas ex vita demigraſſe docuit. Iam verò monſtra ſedem, quæ morientem vidit? Rupertus Romæ: Petrus Damiani, & Ditmarus apud Paternum Othonem interijſſe aſſeuerant.

Ex Annalibus Baronij tomo vndec. ad annos 1001. & 1002.

rant. Saltem genus mortis compertum habebimus? Scilicet; alij dono datas Othoni chirothecas arbitrantur, quas veneno imbuerat vxor Creſcentij, vt iniuriam vlciſceretur: illarum vſurà Imperatorem interemptum (tantæ animis etiam muliebribus iræ) contrà Ditmarus aggraueſcente puſtellarum morbo tandē confectum memorat. Quid ergo noſtratium diſcordiam miraris? Sanè Datius & Landulphus Senior ferè ęquales Arnulphi Archiepiſcopi, certis monumentis omnia conſignauere; ſenſim autem obrepente obliuione, alij ſcriptores, aut tempore, aut perſonis diſcordare cœperunt, neutiquam tamen hallucinati, quà de legatione Arnulphi, quà de ſerpentis æneì munere traditum eſt. Quòd ſi fidem ijs negas, quæ hactenus ſcripſimus, quòd ſingula teſtimonijs tantùm Auctorum nitantur, non autem pugnent argumentis, vti aſſolent Philoſophi in Scholis, & quidem, quod aiunt *à priori*, perperam ratiocinaris; quippe non ego theſes Mathematicas, aut Philoſophicas propugnare ſum aggreſſus, ſed hiſtoriæ fragmento rem vero magis ſimilem indicare: quod non niſi tabulis, & temporum, Auctorumque teſtimonijs impetrant ſcriptores.

Neque verò in ædium priuatarum, publicorumque operum depopulatione, quam Mediolano intulit Aenobarbus, militarem auaritiam Ambroſianus coluber ſenſit; ſiquidem tem-

peraſ-

peraſſe delendis Aedibus Diuùm impotentem ſæuitiam hoſtium, iramque præcipitem populorum affinium tradit Galuaneus a. Verùm ipſa etiam Superùm domicilia execrabili religionis contemptu diripuerit licèt Schiſmaticorum impietas, qui tum partes Aenobarbi tutabantur, tribus tamen pepercisse Templis, nimirum Mariæ Maioris, quod erat primariũ, Mauritij ad Cœnobium maius Virginum, & Ambroſii, Emondus b de Dinter cum aliis ſcriptoribus auctor eſt; cuius Aedem intactã fuiſſe probat c lamina aurea & argentea aræ maximæ, quam multò lubentiùs hoſtis abripuiſſet à Templo, quàm æneum ſerpẽtem. Adde Baſilicam Ambroſij ob ferrei diadematis Inſigne cultam admodùm ab Imperatoribus fuiſſe; vt proinde Federicus Aedem illam minimè obtulerit direptioni, immo die Dominico Palmarum ibidem ſacros Oliuarum ramos acceperit d. Cæterùm eos vaticinari cenſeo, qui exportatum inde corpus Ambroſij in Bauariam, exuuias Protaſij, & Geruaſij Briſacum e, Coloniam verò etiam oſſa Naboris ac Felicis vnà cum Regum Magorum corporibus aiunt: quando etiam nunc integra eſt f ara in Ambroſij Templo ſacrorum pignorum cuſtos; Naboris g verò & Felicis corpora effodit, atque in ara maiori Franciſcanæ Baſilicæ Diuus Carolus compoſuit. Corpora quidem Magorum à Raynaldo Archiepiſcopo Coloniam fuiſſe delata

nemo

a Puric. in monu. nu. 441.

b Puric. ibidem.

c Chalcus lib. hiſt. pat. 19.

d ibidem Chalc.

e Puric. in diſſer. Naz. agit contra Briſacẽſes cap. 104. pro corporib. SS. Geruaſij & Protaſij.

f Puric. in Monu. nu. 460. & ſeq. & 594.

g Gluſſianus in vita S. Caroli lib. 2. cap. 29.

nemo it inficias, ijs etenim lipſanis inſidiatos fuiſſe præcipuè Barbaros (cùm tamen alia longè pretioſiora Mediolani ſeruarentur) inde conijcimus, quòd grandines, & tempeſtates auerterent, atque laborantes Herculeo morbo leuarent; quæ malorum amuleta ſuaſerant ciuibus, vt vaſtanti cuncta Aenobarbo Magorum corpora ſubducerent, atque in munitiſſima turri Aedis Georgianæ collocarent: cuius ima pars adhuc vrbanæ cædi ſuperſtes, multoque ſilice immortalis, ſacrum continet Baptiſterium, niſi nos vulgi opinio fallit. *Puric. ibidem nu. 458.*

Hæc de ſerpente æneo ſcribere placuit; porrò ne inſciti deinceps incolas exteroſue Ambroſianum ceraſtem ſpectantes in errorem inducant, propiorem angui pilam precor, atque obteſtor, vt lubens, volenſque epigrapham hanc incidi patiatur, lapidemque ſuum iubeat eſſe ad imperitorum doctrinam literatum.

SERPENTEM AENEVM

QVEM LANGVENTI PER SOLITVDINES POPVLO

MOYSES EREXIT

ET AD SANANDAM SVPERSTITIONEM

REX EZECHIAS

CONFREGIT

ARNVLPHVS SECVNDVS

MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS

BYZANTIO EXPORTATVM

HAC COLVMNA SVBLIMEM

CHRISTI LIBERATORIS SIMVLACRO

PROPTER AFFINITATEM MYSTERII

OBIECIT

ANNO SAL. M II.

DEO ET DEIPARÆ LAVS.

Digitized by Google

HEſychius Presbyter Conſtantinopolitanus,qui de Serpente Aeneo quatuor libros ſcripſit, fruſtra à me in externis quoque Bibliothecis quæſitus, aut mihi, aut Aduerſarijs fauet : ſi Aduerſarijs, iam diſceptationi ſatisfactum puto : ſi mihi, lætitijs omnibus incedo. Quamquàm de Heſychij ſententia haud magnopere laborem, quando Andreas Schottus in Bibliotheca Photij magnam partem voluminis fictis ab eodem orationibus exhauriri affirmat: vt opus magis ad oſtentationem & concitandis affectibus genitum ſit, quàm veritati in noſtra diſputatione limandæ. Ioannis Buſtamantini, qui de animalibus Sacræ Scripturæ libros edidit, nomine conſultò abſtinui, quòd non Theologorum, ſed Philoſophorum more de angue æneo egerit; illi tamen, cùm mihi *lib. 2. cap. 3. nū. 31.* aduerſatur, iam reſpondi: cùm patrocinatur *eiſdem libro & capite num. 33.* gratias habeo immortales. Cæterùm Typographiæ menda lector humaniſſimus corriget, præſertim illa,

pag. 33. anno MLXXIIII. Petri tenuit ſedem &c. *Emendabit* anno MLXXIII. Petri tenuit ſedem &c.

& pag. 69. ſingulorum quidem ſeculorum &c. *Emendabit* ſingulorum fere ſeculorum &c.

Laudatur Auctor Micrologi de Serpente Aeneo, & alluditur ad imaginem Salutis *inciſam in vetuſtis numiſmatibus, de quibus Antonius Auguſtinus* Dial. 2. Verbo Salus.

A Priſcis cælata fuit ſub imagine Diuæ
  Præbentis colubro pabula grata *Salus*.
Ne pereat coluber noſtræ ſignum ante ſalutis,
  Serpenti ſcriptor pabula docta parat.

Ioannes Maria Bidellius I. C.

Digitized by Google

L *Ibrum, cui titulus* De Serpente Æneo Ambroſianæ Baſilicæ Mediolani Micrologus Auctore Petro Paulo Boſca &c., *dignum cenſeo, qui typis imprimatur, duretq; ipſo are perennior. Me tamen &c. 19. Martii 1675. Mediolani.*

Carolus Ant. Ayroldus Can. Ord., & pro S. Inquiſit. Officio libr. Cenſor &c.

O *Pus inſcriptum,* De ſerpente æneo Ambroſianæ Baſilicæ Micrologus Auctore PerIll. ac adm. Reu. D. S. T. D. Petro Paulo Boſca Ambroſianę Bibliothecæ Præfecto, *vidi & legi, mihi intimè gaudens, quòd noſter Coluber tandem ſit nactus Patronum, qui lites eius fecerit ſuas, diremerit, ac abſoluerit. Columnà licèt conſpicuus, velut humi puluere ſordidus iacebat, ſed docta manus arreptà Palladis haſtà ſublimiùs euexit, penèq; ignoto priſtinum reſtituit nitorem. Mendaciorum ſpolia iniuriis aduerſantiũ circuminiecta detraxit, effecitq; vt rurſus iuueneſceret, & qui fuerat olim, iterum ipſiſſimus emicaret. Ergo pluſne debeat Coluber hic ſummo Legislatori antiquiſſimo, an ſummo Scriptori recentiſſimo ſapiens lector diiudicet. Ego ſanè, tum qui dederit vitam, tum qui ademptam renouauerit, aquè miror, atq; ideò ſentio Micrologum digniſſimum, qui Terrarum omnes peruadat partes, non typis modò, ſed aneis characteribus impreſſus, ſerpentis ſacri, ac Scriptoris eruditi perenne monumentum. Mediolani die 27. Martij 1675. Me tamen &c.*

Iacobus Saita Canonicus Ambroſianæ Baſilicæ pro Eminentiſs. D. D. Card. Litta Archiep. libr. Cenſor.

Digitized by Google

CVm Nos iuxta mandatum Sacræ Congregationis Eminentiſs., ac Reuerendiſs. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitorum Generaliũ præſentem librum *de Serpente Æneo Ambroſiana Baſilica Mediolani* examinandum curauerimus, atque in eo nihil repertum ſit, aut contra Fidem Catholicam, aut contra bonos mores, ideò attentis ſupraſcriptis atteſtationibus eundem librum imprimi poſſe cenſemus. Mediolani ex Ædibus Noſtris in Collegio Heluetico die 30. Martij 1675.

A. Card. Litta Archiep. Mediol.

Vidit Andreas Abb. de Pilaſtris Vic. Gen.

Stantibus atteſtationibus prædictis

IMPRIMATVR

Inquiſitor Mediolani.

Franciſcus Arbona pro Excell. Senatu.

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORVM
Quorum teſtimonio vſi ſumus ad ſcribendum Micrologum.

A

ADamus Sasbout,
Acta Mediolanenſis Eccleſiæ
Æneas Syluius Picolomineus, qui & Pius II.
Aldus Manutius,
Alexander ab Alexandro.
Alexander Sculterus.
Alphonſus Ciaconius.
Alphonſus Salmeron.
Alphonſus Toſtatus.
Alphonſus Viliegas It.
S. Ambroſius,
Ambroſius Boſſius Mſſ.
Ambroſius Gozzeus,
Andreas Alciatus.
Angelomus Monachus.
S. Antoninus,
Antonius Beſta Nigrinus.
Antonius de Eſcobar & Mēdoza
Antonius Maria Spelta It.
Antonius Senenſis.
Arnulphus hiſt. Mſſ.
Aſſaracus Sarrachus,
S. Athanaſius
S. Auguſtinus,
Auguſtinus Oldoinus,
Auguſtinus Steuchus.
Auguſtinus Torniellus,

B

BAptiſta Fulgoſius.
Baſilius Serenius,
Benedictus Pererius.
Benuenutus Mſſ.
Bernardinus Arlunus.
Bernardinus Corius It.
Bernardinus Fainus.
S. Bernardus.
Bonauentura Caſtillionæus Mſſ.

C

CÆſar Card. Baronius
Cæſar Ripa It.
S. Carolus Borromæus.
Carolus à Baſilica Petri.
Carolus Sigonius,
Caſſiodorus.
Chronica Mſſ.
Claudianus.
Compendiũ Chronic. Mediol. It.
Conradus Geſnerus.
Conſaluus Durantus.
Cōſtantius Landus,
Cornelius à Lapide.
Curtius Inghiramius.
S. Cyrillus Alexandrinus.

D

DAtij Chron. Mſſ.
Defendens à Laude It.
Didacus Aluarez.
S. Dionyſius Cartuſianus.

Dionyſius Petauius.
Donatus Boſſius.

E

Emmanuel Sà.
Erycius Puteanus.

F

Felicianus Capitonus.
Ferdinandus Vghellus.
Flauius Blondus.
Frãciſcus Auguſtinus ab Eccleſia.
Franciſcus Caſtellus Mſſ.
Franciſcus Cicereius Mſſ.
Franciſcus Forerius.
Franciſcus Sanſouinus It.
Franciſcus Scotus It.
Franciſcus Vatablus.

G

Gabriel Aluarez.
Gabriel Bucelinus.
Galuaneus Flamma Mſſ.
Gaſpar Bugatus It.
Gaſpar Sanctius.
Georgius Cedrenus.
Georgius Merula.
Georgius Pilonus It.
Georgius Vaſarius It.
Gofredus Buſſerus Mſſ.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Papa.
S. Gregorius Turonenſis.

H

Hector Pintus.
Henricus de Noris.
Hermanus Crombach.
Hieronymus Pradus.
Hieronymus Septalius.
Hubertus Golzius.
Hugo Card.

I

Iacobus Boſius It.
Iacobus Gordonus.
Iacobus Gretſerus.
Iacobus Gualla.
Iacobus Ianuenſis.
Iacobus Salianus.
Iacobus Valerius Mſſ.
Ianus Gruterus.
Io. Antonius Caſtillionæus Mſſ.
Io. Baptiſta Villa It.
Io. Baptiſta Villanoua It.
Io. Card. Bona.
S. Io. Chryſoſtomus.
Io. Cuſpinianus.
Io. Ferrandus.
Io. Franciſcus Beſutius It.
Io. Trithemius.
Io. Henricus Alſtedius.
Io. Henricus à Pflaumern.
Io. Lorinus.
Io. Maldonatus.
Io. de Monte Mſſ.
Io. Palatius.
Io. Petrus Caſoratus.
Io Petrus Gluſſianus.
Io. Petrus Puricellus.
Ioannes Roſinus.
Io. Stephanus Durantus.
Ioſeph Ripamontius.
Ioſeph Scaliger.
Ioſeph Vicecomes.
S. Iuſtinus.
Iuſtus Lipſius.

L

LAndulphus Senior Mſſ.
Laurentius Schraderus.
Leander Albertus It.
Leo Caſtrus.
Lilius Giraldus.
Lucas Vadingus.
Ludouicus Cauitellius.
Ludouicus Zacconus It.

M

MAcarius Ægyptius.
Manuſcripti Codices varij.
Marcus Antonius Sabellicus.
Martyrologium Romanum.
Matthæus Caſtillionæus.
Matthæus Raderus.

N

NIcolaus de Lyra.
Nicolaus Serrarius.
Natalis Comes.

O

OCtauius Caietanus.

P

PAulus Aringus.
Paulus de Euangeliſtis.
Paulus Hentznerus.
Paulus Iouius.
Paulus Morigius.
Paulus Sherlogus.
Petrus d' Auity Gal.
Petrus Maria Campus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Sorexina.
S. Philaſtrius.
Philibertus Pingonius.
Philippus Ferrarius.
Primus Aloyſius Tattus It.
Procopius Gazeus.
Prudentius.

R

RAphael Toſcanus It.
Robertus Card. Bellarminus.
Robertus Holkot
Robertus Valturius.

S

SAluator Vitalis.
Sanctes Pagninus.
Sebaſtianus Barradius.
Secundus Lancellotus It.
Seraphinus Razzius It.
Sidonius Apollinaris.
Stephanus Clauerius.
Stephanus Menochius.
Stephanus Pighius.

T

TAbularij Archiepiſcop. Mediol. monum. varia.
Tabulariũ Cœnobij Ambroſiani
Tabularium Marchionis Vercellini Mariæ Vicecomitis.
Tabularium Virginum S. Mariæ in Valle.
Tertullianus.
Theodoretus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Maluenda.

Titus Liuius.
Torquatus Taſſus It.
Triſtanus Chalcus.

V

Valerianus Caſtillionæus It.
Valerius Maximus.
Vincentius Borghinius It.
Vlyſſes Aldrouandus.

INDEX RERVM.

A

Aaron vituli aurei graphidem facit. 104
Æſculapij ſerpens 13. & ſeq.
Eiuſdem ara in Biblioth. Ambroſ. 15.& ſeq.
Simulacrum deſcribitur. 18
Animaduerſiones in ora lucubrationum Toſtati quorum ſint. 96
Archiepiſcop. Mediolani plures profecti ſunt in Græciam. 47
Ardoinus priuatus Italiæ regno moritur in Cœnobio Fructeriæ. 40
Arianiſmus quoties Mediolani reuixerit. 7
Arnulphi II. Archiep. Legatio ad Imperat. Byzant. 35.& alibi.
Arnulphus II. Archiep. Pontificalis honoris causâ à venatu abſtinet. 36.& ſeq.
Quo anno Pontificatum Mediolanenſem iniuerit. 40
Idem Serpentem Æneũ Moyſis defert Mediolanum 34.& alibi
Quo anno eum detulerit. 75
Eundem collocat in Baſil. Ambroſ. 38.& alibi.
Idem defert Mediolanum magnam partem ligni S. Crucis 54. & alibi.
Idem Arnulphus vir ſanctus. 55.& alibi.
Liberatur à nota bellicoſi ſpiritus & ſchiſmatis. 56.& 58
Originem ducit à Gente Caſtillionæa. 58.&82
Eiuſdem Arnulphi iuſtus dolor in Ardoinum Regem. 62
Magnanimitas. 64
Idem Arnulphus inſtituit Abbatiam S.Victoris Mediol. 67
Arnulphus, ſiue Philagathus Pſeudopontifex non fuit Archiep. Mediol 57
Arnulphus ſcriptor defenditur contra Vghellum. 59
Artifices conflandi æris in caſtris Hebræorum. 104
Aſtenſes Epiſcopi bis conati ſunt ſe Metropolitanæ poteſtati ſubducere. 60

B

S. Barbatus conuertit ad Fidem Chriſti Longobardos. 6
Baſilica Ambroſiana nunquam dicata fuit Æſculapio. 9
Neque Baccho. 18

Excitata eſt à Sancto Ambr. 19
Fuit olim primaria vrbis. 72
Beſutius auctor hiſtoriæ Pontificalis Mediolani qualis ſcriptor. 89
Blondus refellitur. 4
Boſſius confutatur. 9. & ſeq.
Eiuſdem Chronica reprehenduntur. 89

C

Calendæ Ianuariæ olim Mediol. plenæ ſuperſtitionis. 11
Candelabrum Salomonis olim aſſeruabatur Mediolani. 47
S. Carolus ſuſtulit morem ſtatuendi infantes ante Serpentem Aeneum. 6
F Bibliothecã ſuam legauit Collegio Baſil. Metropolit. 42
Cena vox an ſcribenda ſine diphtongo. 17
Chalci ſententia de Arnulphi ſcriptoris teſtimonio refellitur. 49
Eiuſdem ſententia de Serpente Ambroſ. diluitur. 24
Chronologiæ error de legatione Arnulphi II. emẽdat. 40. & 74
Clauus Chriſti Domini, & plures Sanctorum Reliquiæ Mediolani coluntur. 47. & 69
Conuiuia in Natalitijs Martyrum ſublata à Diuo Ambroſio. 12
Concilium Laudenſe, cuius decreto Ardoinus loco motus eſt. 60. & 63.
Corij ſententia de Serpente Amb. confutatur. 29. & ſeq.
Corpora SS. Ambroſij, Protaſij, & Geruaſij, Naboris, & Felicis, an Mediolano exportata fuerint. 110

D

Sanctus Datius Archiep. Eiuſdem exulis magnificentia. 42
Datius ſcriptor quis. 33
Diſputatio de Conſecratione inter Archiepiſcopum Mediolanis & Epiſcopum Ticini. 58
Draconarij milites. 20
Draconum Inſigne olim à militibus delatum. 21
Quale eſſet eiuſm. Inſigne. ib.

E

Eccleſia Latina quare diebus feſtis SS. Georgij, & Margaritæ nullas recitet lectiones ex eorundem rebus geſtis collectas. 27
Eccleſia Mediolanenſis nunquam fuit ſchiſmatica. 56
Epiſcopi olim conſecrabantur à ſuo Metropolitano. 58

F

Fabulæ de Serpente Baſil. Ambroſ. confutantur. 2
Federicus Aenobarbus abſtinuit direptione Templorum in excidio Mediolani. 110

G

Galli in culmine ſacrarum Aedium. 3. & 1

Galli

Galli Gallinacei ſacri Aeſculapio. 10
Gallinę eidem Aeſculapio immolabantur. 11
Galuaneus Flamma laudatur. 52 & 58
S. Georgius Mediolanenſes ab obſidione ſoluit. 22
Grimoaldus Rex Lōgobardorum ponit Papiæ Baſilicam Diuo Ambroſio. 8

H

SAnctus Henricus Imperator coronatur ab Arnulpho II. Archiep. in Baſil. Ambroſiana. 40
Vocatur in Italiam, non ab Arnulpho, neq; ab Heriberto Archiepiſcopis, ſed à Principibus Regni. 63
Hiſtoricorū varietas in ſcribenda morte Othonis III. 108. & ſeq.

I

INſigne Mediolani. 19. 20. 22.
Inſignia Regionum eiuſdem vrbis. 23
Inſubres ſigna efferunt ex Templo Mineruæ. 21
S. Ioannes Epiſcopus Bergomi martyrio coronatur. 8
Ioannis Iacobi Triuultij magnanimitas. 37

L

LAncellotti argumenta de Draconibus proponūtur. 26
Eiuſdem ſententia de Draconibus confutatur. 26
Landulphus Senior, & Landulphus de S. Paulo, qui ſcriptores. 34
Landulphus II. Epiſcopus Brixiæ frater Arnulphi II. 67
Laudenſes liberantur à Dracone. 27
Leonū ſimulacra ad valuas Templorum. 5
Liber Succeſſorum S. Barnabæ quantæ auctoritatis in monum. de Serpente Aeneo. 32
Longobardi adorant Viperam. 6

M

MAgorum Regū corpora Mediolani aſſeruabantur. 47
Cur Mediolano exportata. 110 & ſeq.
Maria vxor Othonis III. cremata. 84
Marti quænam victimæ immolarentur. 20
Mediolanenſes quos Deos olim coluerint. 4
Nunquā venerati ſunt feras. ib.
Mediolanenſes pugnaturi Serpentem olim collocabant in arbore. 21
Mediolanenſium Inſigne Crux purpurea in parma argentea. 22
Mediolanenſium ſtemma antiquum. 19. & 20.
S. Monica obedit legibus Diui Ambroſij de conuiuijs ad memorias Martyrum. 12
Mulierculæ ſtatuebant olim infantes ante Serpentem Æneum Baſil. Ambro. 5

Olde-

O

Oldericus Epiſcopus Aſtæ obrepit ad conſecrationẽ Epiſcopalem. 59
Otho Magnus inſtituit Capitaneos, Duces, Marchiones &c. 45
Otho III. mittit Arnulphum II. Archiepiſc. Legatum Conſtantinopolim, 35
Idem perit dolo Stephaniæ, 57 & 108
Quare Græcam vxorem quæreret. 85

P

Pallium Pontificale appellabatur olim Stola. 39
Pallium duplicis generis. ib.
Phœnices colunt Serpentes. 3
Principes Regni latenter fauebant Henrico Imperatori, 63

S

Sanctus Sabinus Archiep. Mediol. peregrinationem traſmarinam ingreditur. 48
Ope S Catharinæ ſeruatur. ib.
Scriptores rei patriæ an fide digni, 106. & ſeq.
Serpens Æſculapij qua ſpecie fuerit, 13. & ſeq.
Serpens Ambroſ. Baſil. deſcribitur. 1
Non eſt dicatus Æſculapio. 13
Serpens Æneus quo pacto delatus ſit Conſtantinopolim. 46
Serpens Æneus Moyſis an comminutus, combuſtus, & proiectus in Torrentem Cedron 90. & ſeq.
Fuit tantùm cõfractus ab Ezechia. 93. & ſeq.
Collocatus erat in columna ab Hebræis in Templo. 94
An ſpectari debuerit ab omnib. Tribub. Hebræorum. 98. & ſeq.
An collocatus in trabe, vel in columna. 101
Collocatur in pertica, vel in conto. ib.
Collocatur in ianua Tabernaculi Teſtimonij. 100
An circunuolutus palo. 102
An conflatus in ſpeciem Crucis. 103
An alatus. ib.
An affabrè elaboratus. 104
An ex perpetuo ęre, aut ex pluribus portionibus conſtaret, 105
Serpens gentilitius Familiæ Vicecomitum qualis. 23. & 24
Sucula mediolanata in ſubſtructione Mediolani reperta, 19

T

Templum Æſtiuum, & Hyemale Mediolani, 73
S. Theodorus Abbas Caſſinenſis S. Sabinum Archiepiſcopum ad peregrinationem tranſmarinam comitatur. 48
Tornielli ſententia de Serpente Æneo confutatur. 88
Turris Ædis Georgianæ. 111

Vale.

V

Valeriani Caſtillionæi error de Arnulpho ſcriptore. 51
Vaſarius refellitur. 8
Vbertus Angiera occidit Draconem. 25
Verres à Gallis Ciſalpinis Marti immolatur. 20
Villegas confutatur. 19
Viperæ cultus apud Longobardos. 6
S. Vuolphangus portendit imperium S. Henrico. 4

Finis Tabulæ.

Digitized by Google

Digitized by Google